Jón Eiriksson
Nomina propria
et
cognomina septentrion.
1753.

TENTAMEN
PHILOLOGICO - ANTIQUARIUM
QVO
NOMINA PROPRIA
ET
COGNOMINA VETERUM
SEPTENTRIONALIUM
MONUMENTORUM
ANTIQVORUM, INPRIMIS
ISLANDICORUM,
OPE, LEVITER ILLUSTRANTUR
PER

JOHANNEM ERICI Isl.

HAVNIÆ,

APUD FRID. CHRIST. PELT 1753.

Bibliopolam, in Baſilica, Vulgo Börſe.

Legi & probavi

J. P. Ancherſen, D.

VIRO
EMINENTISSIMO ET SUMME
VENERABILI
DOMINO
LUDOVICO HARBOE
DIOECESEOS SÆLLANDENSIS
ET FERöENSIS EPISCOPO
MERITISSIMO
NEC NON SOCIETATIS REGIÆ
SCIENTIARUM, QVÆ HAFNIÆ EST,
MEMBRO
RELIQVA.

VIRO
GENEROSO ATQVE ILLUSTRI
DOMINO
B. WILH. LUXDORPHIO
S. R. M. A CONSILIIS STATUS ET
JUSTITIÆ, LIBELLORUM SUPPLICUM
MAGISTRO, IN SUMMO JUSTITIÆ
TRIBUNALI ASSESSORI, SOCIETATUM,
SCIENTIIS, UT ET LINGVÆ ET
HISTORIÆ DANICÆ, PROMOVENDIS,
DEDITARUM, SODALI &c.

MÆCENATIBUS ET PATRONIS SUIS

OMNI HONORIS ET OBSEQVII CULTU

PROSEQVENDIS.

TENUES HASCE STUDIORUM ACADE-

MICORUM PRIMITIAS.

BENEFICIORUM, QVÆ IPSORUM INDUL-

GENTIA LUCRARI DATUM, EFFECTUS,

GRATÆQVE INDICIA MENTIS,

QVA DECET ANIMI RELIGIONE

SACRAS ESSE

HUMILLIME CUPIT

AUCTOR

PRÆ-

PRÆFATIO
ad Lectorem.

Anteqvam Collegio & Communitati Regiæ valedicerem, Gunnlaugi Ormstungæ, nobilis Islandi, qvi seculo post natum Christum decimo & undecimo vixit, vitam, qvæ Mssta hactenus delituerat, mea qvalicunqve versione & notis illustratam, speciminis anniversarii loco, edere, initio constitueram; Verum libelli moles, præter opinionem brevi augeri cœpta, sumtuum magnitudine deterruit; nec ultimam addere manum, temporis permisit angustia. Hinc aptiorem differendo materiam circumspicienti, qvod L. B. vides, natum est schediasma; curiosus fortasse, fateor, qvam utilius; attamen qvod originum, institutorum, consvetudinum, vel opinionum deniqve vetustarum, aliqva præbeat indicia, si non alio, saltem virorum eruditissimorum, qvi talia, sua haud indigna indagine judicarunt, exemplis, excusandum. Onomasticon, sive integrum singulorum nominum propriorum Catalogum, & eorum ex-

explicationes Grammaticas, cave hic expectes; vasti qvippe moliminis, non tentaminis opus; sed generalem tantum, qva lucem antiqvitates præferunt, discursum, naturæ illorum & progressus, tenues lineas ducentem, & potissimas, qvæ hos illosve nominibus significatus dedere, rationes, evolventem, atqve adeo talem, qvi nomina propria sigillatim exposituro, summariæ instar introductionis esse posset. Qvæ potui, evidentibus antiqvitatum testimoniis stabilivi; sunt tamen & nonnulla, qvæ conjectando asseqvi necesse fuit; etenim id antiqvitatum natura postulare videtur, ut historicæ certitudinis defectum, probabilis aliqvando conjectura suppleat; qvo intuitu, si rerum naturæ, & rituum antiqvorum analogiæ convenienter, rationes instituamus, qvod nostrarum est partium, si non explesse, saltim pro virili tentasse, censendi sumus: qvam si trutinam semper exacte non servavi, ipsa argumenti difficultas, & larga hallucinandi occasio, facilem, spero, veniæ concedet locum. Tuum cætera erit L. B., de conatu juvenili, benignum ferre judicium, qvem si Tibi omnino non displicuisse deprehenderim, ad alia Antiqvitatum Danicarum capita, qva tenuitas fert ingenii, illustranda, animum & vires addes.

SY-

SYNOPSIS.

§. 1. Nomina veterum septentrionalium ante Odinum, an Hebraica sint, in specie nomina gigantum, Dvergorum, & hominum stricte sic dictorum, qvæ vel a circumstantiis nativitatis, vel ab habitu corporis deducta, vel a majoribus per generationem propagata.

§. 2. Odini migratió nomina mutavit.

§. 3. Rationes nominum a variis Auctoribus allatæ. Scriptores nonnulli, qui de nominibus propriis egerunt, & variæ nominum apud nos divisiones.

§. 4. Cur a Diis ducta nomina: Nomina a religione in genere: a Diis ante Odinum, videlicet Sole & igne; ab Othino ejusqve nominibus, tam proprio qvam honorariis; a Thoro; a Freyo, a reliqvis Odini sociis, a fœminis Asiaticis, ab Alfis, & deniqve a qvibuscunqve minorum gentium deabus.

§. 5. Nomina cur a defunctis ducta, in specie nomina a majoribus, gentium ducibus, cognatis aliis, amicis, benefactoribus, & qvibuscunqve magni nominis viris.

§. 6. Nomina ab Animalibus desumta, cujus ratio in robore & forma animalium, inprimis tamen in Religione Ethnica latere putatur.

§. 7. Nomina a re militari in genere, a singulis armis, illorum varia compositio, & deniqve rationes, cur nomina a rebus bellicis sint ducta.

§. 8. Qvousqve, & an omnia Nomina, ab indole & habitu corporis deducta sint, examinat.

§. 9. Qvænam, & qvo respectu nomina a circumstantiis nativitatis petierint.

§. 10. Nomina a rebus qvibuscunqve auditu pulchris, nec non rebus naturalibus, elementis & meteoris.

§. 11. Accessiones nominum duplices, solennes, vel minus solennes, an familiam spectaverint; & deniqve qvibus jus nominis imponendi competebat.

§. 12. Nomina mulierum a masculinis formata.

§. 13. Nomina peregrina antiqvorum commerciis illata, cognosci facile non possunt; plura Christianam Re igionem, & aucta post eam introductam gentium commercia, intulisse, Danorum, Norvegorum, & Islandorum exemplis declaratur.

§. 14. Migrationes Danorum, Nomina illorum propria ad exteros transtulere; qvomodo illa temporis successu sint corrupta, & deniqve an ex Germanica lingva orta.

CAP. I.

De Nominibus propriis Virorum & mulierum.

§. I. Nomina primorum septentrionis incolarum, ante Odinum, in genere.

Qvinam primi Septentrionis incolæ fuerint, & unde illi in eam orbis partem, qvam nunc incolimus, migraverint, nondum extra omnem positum est dubitationem; hinc nec certiora illorum nomina: Nam etsi vetustissima Regum Ducumqve nomina, Hebraica esse, Lyschandro visa sint, (Ant. Dan. Serm. 4 p. 40.) non tamen sufficiens satis ratio subest, cur omnia veterum septentrionalium nomina, Hebraicæ originis esse, statuamus; nisi forte vetustissimos Septentrionis incolas, vel antiqvis Hebræorum coloniis, qvas in Pannoniam olim ductas fuisse, ex Inscriptionibus Hebraicis Lazius probare nititur, (de gent. migr. Lib. 1. p. 16.) vel Cananæis, e Palæstina fugientibus, qvæ Arn-

grimi ſententia eſt, (Crymog Lib. I. c. 4.) a Spelmanno, apud Wormium, (Monum. Dan. p. 159.) aliqva ex parte approbata, originem debere ſtatuamus; qvæ tamen omnia nec dubiis carent, (vide Jonæ Venuſini theſ. 169. &c. de Fabula, Boxhorn. Origg Gall. p. 97. &c., nec non Salani notas ad Egilli & Asmundi Hiſt. p. 122.) nec rem, in qva explicanda verſamur, multum illuſtrant. Ex paucis enim majorum noſtrorum nominibus, Hebrææ lingvæ, nominumqve Hebræis familiarium, genium, propius referentibus, concludi aliqva cum veri ſpecie plus neqvit, qvam gentes, qvæ ſeptentrionem noſtrum primæ occupavere, nomina illa Hebræa, vel ex Hebræorum commercio, dum terras orientales adhuc incolebant, vel perpetuo majorum uſu, vel deniqve, ex propriæ, anteqvam temporum lapſu corrumpebatur, & ab Hebræa penitus receſſit, lingvæ, indole, hauſta, retinuiſſe, donec has in oras migrando pervenere, ſedesqve ſibi & poſteris perpetuas conſtituere: imo! qvod propius forte rem tangit: Nomina, qvoad ſpeciem externam Hebræa, ideo ſtatim Hebraicæ eſſe originis, haud ſatis tuto concluditur: Nam etiamſi ratio talium nominum Grammatica, ex lingva, qva hodie utimur, reddi neqveat, fieri tamen facile poteſt, ut illa, ſonum Hebræorum nominum referant, aſt longe aliud, ex vetuſtiſſimæ ſeptentrionalium lingvæ genio, & imponentium inſtituto, denotent, qvam nomina Hebræa, iis ſimilia; cum notiſſimum ſit,

dari

dari in qvalibet lingva voces, alterius lingvæ vocibus, sono simillimas, sensu vero oppido dissimiles. Qvin & si hoc modo argumenta nectere liceret; Græciæ qvoqve multa nomina antiqva accepta referret septentrio noster; nullus enim dubito, qvin in vetustis nostris monumentis, nomina occurrant bene multa, Græcis vetustis, qvoad sonum similia, qvæ tamen veteres septentrionales e Græcia accepisse, vix inde inferrem, si certiora, vel saltim magis probabilia, non adessent, Græcorum, cum majoribus nostris, commerciorum, indicia. Illud autem certius est, septentrionem nostrum, uti unicæ orientalium coloniæ omnes non debet incolas, ita nec ab una gente, nec uno tempore, omnes accepisse, sed varios subinde populos, diversis e regionibus ortos, sedes sibi hic qvæsivisse; qvod ex gentium, qvæ has olim terras incoluisse traduntur, diversitate, facile probatum iri putamus: Hinc magna non potest non seqvi nominum varietas; Credibile enim est, qvemlibet populum, vel acceptam a majoribus nomina imponendi rationem, vel ipsa majorum nomina, retinuisse, donec vel plurium gentium septentrioni infusa colluvies, lingvam, & cum illa nomina mutaret, imo nonnulla plane nova inferret, vel nova deniqve colonia veteribus superinduceretur, Torf. Ser Reg. Dan. pag. 128; Qvalia autem illa nomina fuerint, idoneis remotæ adeo antiqvitatis monumentis destituti ignoramus. Sed ad rem propius veniamus: Ante

Ante Odini tempora gigantes in ſeptentrione fuerunt; his ut inſtituta, ita & nomina, a reliqvis diverſa hominibus; horum nominum nonnulla gigantibus manſere propria, nec ad alios homines, commercio deficiente propagabantur, ſed cum ipſa gigantum gente ſenſim interibant, qvalia inprimis fuere, qvæ agreſtem gigantum naturam ſignificatu ſuo referebant, (ut Þiaſſi, Suttungr, Hvedrungr, Svelnir &c.) atqve ideo hominibus parum digna putabantur; nonnulla una cum variis gigantum rebus geſtis, manifeſte ſunt conficta; alia contra, connubiorum ope, gigantibus, Manheimii (qvomodo in oppoſitione ad Jötunheim vel Godheim Sveciam dictam tradunt) incolarum filias, & Manheimii incolis, gigantum filias uxores ducentibus, ad reliqvos ſeptentrionis incolas translata, & integra, (ut Svadi, Olafs 5. Lib. 2. p. 231.) & cum aliis humanis nominibus, imo aliis vocibus, compoſita, diu in uſu fuere. Alterum hominum genus Dvergi ſive Nani ſunt: non eqvidem me latet, qvosdam omnia, qvæ de Dvergis habentur, allegorice interpretari, qvod tamen non impedit, qvominus pro hominibus, artium manuariarum juxta ac magicarum peritiſſimis, haberi qveant, (Saxo Hiſt. Dan. Lib. 1. p. 9. Lyſchandri Ant. Dan. Serm. 5. p. 44.,) ſi modo nonnulla excipias exempla, qvæ manifeſte allegorica ſunt, & ab Auctoribus vetuſtis, vel ex rationibus, ex Theologia gentili & phyſica ductis, (ut Nordri, Sudri, Auſtri, Veſtri, Fialar, Froſte,) vel ad delectan-

lectandum confiſta. His & ſua nomina in antiqvis Auctoribus, & Edda paſſim obvia, qvorum plurima, a reliqvis nominibus hominum propriis abludunt, ſolisqve nanis propria ſunt, illorumq; naturam & qvalitates in ſpecie ſignificant; alia contra ſed pauciora poſterorum uſus aſſumſit, talia ſunt, Alfr, Dagfidr, Fidr, Forni, Þrain, Grimr & alia. Finnos ab antiqviſſimis retro temporibus, ſeptentrionem incoluiſſe, non eſt credo qvi ignorat; his ut propria lingva, ita & nomina, qvorum rationes ſpeciales, eadem, qva reliqvæ Finnorum origines, caligine, ſepultæ jacent. Reliqvorum, qvi eam ſeptentrionis partem, qvæ Manheimr antiqvis dicebatur, ante Odinum incoluere, nomina haud pauca, nobis Antiqvitates ſervarunt, qvorum nonnulla, poſteriorum ſeculorum uſu recepta, & ad poſteros propagata ſunt, alia contra, recenti nominum, qvæ Odini migratio intulit, uſu, ſubinde extincta facile credas, ſi modo perpendas, illorum, poſt Odini tempora, mentionem, in Antiqvitatibus nullam fieri, vel rariorem. Cum igitur gentium borealium initia adeo obſcura ſint, pauca tantum de vetuſtiſſimis nominibus nobis dicenda in promptu eſſe, qvilibet facile videt. Omnia veterum nomina ſignificativa fuiſſe, vel id videtur argumento eſſe, qvod omnia nomina vetuſta, qvorum rationes Grammaticas introſpicere valemus, determinatum aliqvem ſignificatum contineant: non enim dubitandum, plurima nomina propria, ab initio, natura ſua appellativa fuiſſe,

à caſu

a caſu vel circumſtantiis nativitatis, vel aliis id genus rebus deducta, qvæ labentibus & comixtis temporum curſu lingvis, ita ſunt mutata, ut verus ſignificatus, vel ignoretur penitus, vel longis Etymologiæ ambagibus, ſit inqvirendus; qvam nomina imponendi rationem, veteres ſeptentrionales etiam eſſe ſecutos, eo magis eſt credibile, cum & naturæ maxime conveniat, & ipſa Sacra ſcriptura teſte (Gen. c. 29. & 30. Exod. 2. v. 10.) apud Orientales populos in uſu fuerit. (Petr. Septimius de lingva Cimbrica c. 72. p. 99.) idem de nominibus ab habitu corporis & indole petitis eſto judicium. Alia nomina ab avis ad nepotes per generationem propagabantur, ita ut, vel integrum avi, aviæ, aut alterius cognati nomen imponeretur, vel ex pluribus cognatorum nominibus, in unum combinatis, nomen infantis proprium componeretur; Unde recte qvidem monet Salanus, (not ad Egilsſaga p. 145.) a more antiqvo haud fuiſſe alienum, bina nomina propria in appellationibus copulare, qvamvis id ad Auſkoraudi nomen, ex duabus vocibus, non vero propriis nominibus, compoſitum, perperam trahat; Non dubito multo plures rationes, in nominibus imponendis, antiqviſſimis temporibus fuiſſe ſpectatas, qvarum bene multas longo tempore poſt Odini adventum, imo mortem, adhuc in uſu fuiſſe, ex collatis variorum ſeculorum documentis facile patet, de qvibus commodior in ſeqventibus dicendi locus erit.

§. 2. Nomina propria Odini adventu mutata.

Qvæ in ſeptentrionem antiqviſſimi incolæ intulerunt nomina, per ſuccedentes poſtea migrationes, varie mutata, antiqvata, & novis aucta fuiſſe nominibus, ipſa rerum natura poſtulat; aſt nil majorem illis inducere mutationem potuit, qvam Odini illius Aſiatici adventus; illius enim fama, & artium, qvas cum ſociis profitebatur, excellentia, res ante illum geſtas ſplendore ſuo abſumſit, regimini, ſtatuiqve politico aliam faciem impoſuit, novam religionem, novorumqve numinum cultum intulit, & novam deniqve dialectum ſeptentrionales docuit; Unde dubitari neqvit, nomina, immane qvantum, eſſe mutata; qvin & Prologus Eddæ diſerte teſtatur, *priſcos Aſianos in ſeptentrionem venientes, nomina ſua propria ſimul in Norvegiam, Daniam Sveciam, & Saxoniam intuliſſe*; qvo qvam multa, qvæ ante in uſu fuere nomina, perpetuæ tradita ſint oblivioni, haud facile qvis dixerit; Ad hanc nominum mutationem amplius illuſtrandam, ſolummodo h. l. afferre juvat, innumera fere illa nomina, a Deorum Aſiaticorum nominibus deducta, ut & alia haud pauca, qvibus Religio ethnica, ad Odini inſtitutum compoſita, dedit occaſionem; de qvibus infra ſuo loco.

Obſ.

Obſ. Qvamvis probabile admodum ſit, Septentrionem noſtrum, nonnullis ante Odinum ſeculis, & diverſis forte temporibus ſuos accepiſſe incolas, nos tamen illorum nomina, leviter tantum, & nulla habita temporum ratione, perſtrinximus. Nam cum monumentorum Islandicorum fides ſupra Odinum non aſcendat, res ante illum geſtæ, atqve ideo multo magis nominum propriorum mutationes, utpote qvæ minoris ſunt momenti, tantis premuntur tenebris, ut haud ſatis accurata, imo fere nulla, haberi temporum ratio qveat; tantumqve abeſt ut nominum qvamlibet viciſſitudinem ad ſuam referre ætatem valeamus, ut, qvænam prima fuerit, qvæ ultima, ignoremus. Eadem & ratio fuit, cur Odino illi ultimo inſignem nominum mutationem retulerimus acceptam, nulla reliqvorum, qvi ante illum hoc nomine borealibus innotuere, facta mentione. Plures fuiſſe Odinos ſat, credo! viri, in his literis verſatiſſimi probarunt, aſt ultimus ille, qvo majorem ſibi poſteritatis admirationem conciliaret & venerationem, antiqviorum facta, qvidni & nomina? ſibi tribui fecit & ſociis (Verelii not. ad Gautreks Saga. p. 46. Torf. Ser. Reg. Dan. p. 100. 104 inprimis p. 117.) unde qvid hac in parte illi, qvid antiqvioribus debeatur, in tanta hiſtoricæ veritatis penuaria, haud facile diſcerni

poteſt

potest. Vide Torf. Ser. Reg. Dan. Lib. II. cap. 4.

§. 3. Generales nomina imponendi rationes, & nominum primariæ divisiones.

Haud sane paucæ ante Odinum viguere nominum imponendorum rationes, a nobis (§. 1.) ea maxime de causa non allatæ, partim qvod illas temporum Odino recentiorum usus etiam admiserit, & cum ritibus postea introductis conjunxerit, partim qvod testimoniis, ex seqviorum seculorum historia petitis, sint probandæ. Hinc de illis, qvæ post Odinum in usu fuere, paucis dispiciam, qvarum nonnullas „ Reenhielmius (not. ad Hist. Thorst. Viking. pag. 7.) „his Verbis recenset: *usitatum priscis fuisse,* „*hominibus nomina tribuere, vel a facto* „*aliqvo, a primo initio, a Rege vel Duce,* „*forma externa, aliqvo vitio acqvisito vel* „*naturæ, ipsa deniqve natura, casu fortuito* „*vel etiam vana superstitione, homini in* „*literis vel mediocriter versato ignotum esse* „ *non potest.*„ Christianus Wormius (Comment. ad Sched. Ar. Polyhist.) triplicem inprimis nominum rationem nostratibus fuisse agnoscit; „ primam, *qvod Deorum nomina suis præpo-* „*nerent,* (pag. 91.) secundam, *qvod virorum* „*fortium & celebrium nomina suis imponere*

„*amarent*, (p. 93), tertiam deniqve, *qvod ex* „*variis animalium generibus, cœlo, ſideribus,* „*elementis, metallis, lapidibus, armis rebus-* „*qve aliis deſumta eſſe nomina reperiantur.*„ (p. 94.) Et qvid multa! „*extant enim* „(Verba ſunt Celeb. Ol. Wormii Lit. Run. p. 168.) „*adhuc veſtigia nominum, a magnanimitate* „*ſervitio, urſis, feris, propugnaculis, aliisqve* „*rebus deſumtorum.*„ Similia aliorum teſtimonia ſciens prætereo, potiores nominum imponendorum rationes, idoneis Antiqvitatum noſtrarum teſtimoniis probaturus; haud tamen omnes qvis a me exſpectet, nec enim tantum mihi otii fuit relictum, ut omnium, qvæ in Antiqvitatibus occurrunt, nominum propriorum Catalogum conficere, & in eorum originem inqvirere poſſem, ſine qvo tamen ſingulorum rationes accurate perſpici neqveunt; nec operæ eſſe pretium videbatur, rationibus nominum propriorum ſingularibus, tractationem hanc plus juſto extendere, partim cum res eſſet non Diſſertationis, ſed integri Voluminis, partim cum Viri haud pauci, laude mea omnino majores, in nominibus propriis veterum colligendis & explicandis, ſuam poſuerint operam. Cui enim, qvæſo, ignotus eſſe poteſt nominum propriorum index, qvem ex Inſcriptionibus & monumentis Runicis collegit, & Hiſtoriæ Herraudi & Boſæ a ſe editæ ſubjunxit, Celeb. Verelius? Qvis Celeb. Olai Wormii hac in re laborem ignorat, qvi non tantum in epiſtola ad Spelman-

mannum (Monum. Dan. Lib. III. p. 192. seq. Epist. p. 450. seqv.) nonnulla veterum Danorum homina erudite explicuit, sed & alia haud pauca ex Cippis Runicis collegit. (Lit. Run. c.28. & alibi)? Nonnulla nomina, qvæ vere Cimbrica putat, recenset Septimius; (de Ling. Cimbr. c. 73. p. 100) nec dubito, qvin huc referam, tam recensum Ducum Haraldi Daniæ Regis, a Stephanio (not. in Saxon. p. 167.) editum, qvam varios nominum propriorum indices, auctorum veterum monumentis, in Dania Svecia & Islandia editis, adjectos, qvæ tamen omnia, si verum fateri liceat, vastum nominum propriorum ambitum numerumqve non exhauriunt. Præter hos & alii extant nominum propriorum collectores, qvorum opera, partim lucem publicam aspexere, infra suis locis laudanda, partim adhuc Mssta latent. Inter nostrates Oddus Oddæus, Ecclesiæ Kiosanæ in Australi Islandia minister, Aö. 1649. mortuus catalogum nominum propriorum sui temporis, inprimis rariorum, conscripsit, qvem pronepos Doctissimus Eyulfus Johannæus Vallensis Ecclesiæ in Boreali Islandia Pastor, sibi augendum sumsit & illustrandum: Hujus *catalogum nominum propriorum, virorum & mulierum, tam freqventum qvam infreqventium, ab anno salutis MDC, ad annum MDCCXLIII, in Islandia usitatorum*, ordine alphabethico digestum, 644. nomina propria utriusqve sexus, una cum explicationibus illorum Grammaticis complexum, & ipsa b. auctoris

manu exaratum, mecum benigne communicavit Eminent. Selland. Episc. *Ludovicus Harboe*, Patronus meus, ad cineres usqve colendus. Ast, licet forte multi alii nostratium aliqvid hac in re præstiterint, omnibus tamen palmam dubiam facturum, si non plane prærepturum puto Doctiss. & in hoc studiorum genere versatissimi, Johannis Olavii Onomasticon, qvod bona auctoris venia obiter mihi inspicere licuit, si qvando illi lucem publicam aspicere contingat. Sed ut ad rem redeam: Nomen *proprium in genere* dicitur qvod individuo competit; hinc *proprium hominis* erit qvod individuo humano competit. Hæc varie distingvuntur: Etenim I.) *Ratione sexus* vel masculina sunt, vel fœminina. II.) *Ratione originis*, vel domestica, vel peregrina. *Domestica* voco, qvæ, vel a populis, gentium borealium auctoribus, in septentrionem illata, vel in ipso septentrione subinde nata, in prisca borealium lingva suam agnoscunt rationem; *peregrina* contra, gentium, qvæ in septentrione nunqvam sedes fixerunt, commerciis debentur. Qvæ Odinus attulit nomina, licet primorum incolarum respectu peregrina dici qveant, illa tamen ad domestica referre non dubito, cum Odini comites inter gentium nostrarum auctores merito sint referendi, & cum illis in unam gentem unamqve lingvam, postea cöaluerint. Tam domestica qvam peregrina nomina iterum vel *simplicia* sunt, in plures partes significantes haud

haud resolubilia (ut *Ari*, *Biörn*, *Geyr* &c.) vel *composita* plures distinctos significatus, diversasqve partes exhibentia, qvarum una per adjectivum commode potest exponi (ut. *Þorsteinn* ɔ: lapis Thorinus, *Brynhilldr*, *Steingrimr*.) Deniqve simplicia, vel *primitiva* sunt aliisqve vocibus originem non debent (ut *Steinn*, Ulfr &c.) vel *derivativa*, voci primitivæ in qva rationem agnoscunt, determinationem qvandam accidentalem addentia (ut ab *Ast* amor *Asta* q. amabilis v. amans, ab *ar* annonæ felicitas, ubertas *Arni* & similia.) III.) Si deniqve & *temporis* & *modi qvo nomina imposita sunt* ratio habea tur, multas nominum classes constituendas esse oppido apparet: tempus nominum imponendorum si spectemus, omnia nomina propria in triplici inprimis erunt discrimine; nonnulla enim eaq; plurima ab ipso statim nativitatis & lustrationis tempore infantibus imponebantur, alia, sed paucissima, casus postea superveniens, vel integra attulit, vel nova adjecta determinatione auxit. Per *modum nomina imponendi*, eas rationes intelligimus, qvas in nominibus imponendis veteres spectasse constat; has si respiciamus, qvædam nomina propria *Religioni gentilium* rebusqve divinis, alia *majoribus*, alia *rebus animatis*, alia deniqve *rebus inanimatis*, vel etiam *idealibus* & abstractis notionibus, aliisve suam debere originem deprehendimus. Has nominum propriorum classes, cum antiqvitatum notitiæ propius respondeant, infra explicabimus,

 ita

ita tamen ut inter nomina cujuslibet classis *simplicia*, *composita*, *primitiva*, *derivativa*, & qvæ aliæ sunt Grammaticæ nominum divisiones, justa observetur distinctio.

§. 4. Nomina propria a Religione & Deorum Ethnicorum nominibus deducta.

Qvi antiqvos auctores, sacros juxta & profanos, evolverit, haud pauca nomina propria, tam a veri Déi, qvam ab idolorum nominibus deducta, deprehendet; unde hanc nominum rationem, & antiqvam satis esse, & ab oriente ad septentrionales populos migrasse apparet; qvi uti qvælibet *nomina, qvæ boni essent ominis, liberis imponere solebant;* (Verel. not. ad Hist. Herv. p. 49.) ita &, nominum propriorum rationes e religione sæpius petiere, nunc a sacris in genere nomina derivantes, nunc integrum hujus illiusve Dei nomen liberis imponentes, nunc deniqve ex nominibus Deorum vel propriis vel honorariis nomina suorum propria diversis modis combinantes: „*Voluerunt nempe*, teste Pontoppid. Gramm. Dan. „pag. 109, *gratos animos erga Deos suos* „*declarare, qvippe qvibus prolem acceptam* „*referebant, & eo majorem gratiam liberis* „*apud Deos, ut ab iis denominatis, conciliare,* „*impositisqve nominibus progeniem monere,* „*ut qvoties, accrescente ætate, se nominari* „*audi-*

„*audiret, vel nominum recordaretur, toties* „*Deos suos, eorumqve avitum cultum, in* „*mentem & memoriam redigeret.*„ Eandem fere nominum propriorum, ab Odini nominibus deductorum, rationem reddit Catal. Eyulfianus msstus his Verbis „ *etiam arbitrati sunt, se* „*dictum cultum, dicto deastro, sua opinione,* „*ex asse debitum, ad summum fastigium eve-* „*here non posse, nisi qvoqve nomina propria* „*virorum & mulierum, ab ejus nomine deri-* „*varent, atqve sic iisdem eo majorem* „*gratiam & existimationem conciliarent.*„ Accedit qvod homines, nominibus, a religione sacrisqve petitis, insignitos, illorum ope, fortiores feliciores, imo meliori genio præditos fore putarent, qvod eo minus esse dubium potest, cum & eundem effectum clarorum qvorumvis virorum nominibus eos tribuisse in confesso sit. Alii liberis nomina a Diis & religione derivata, imponebant, ut eos Diis devotos, eorumqve speciali tutelæ commendatos, hoc velut indicio monstrarent teste fragmento, Historiæ Olai Triggvini (Lib. II. p. 331.) subjuncto: „Brandsendi hon til Rauma fóþur sins, „en hann gaf hann goþonom, oc var hann „kalladr Godbrandr„ i. e. *Brandum Raumo Patri misit, qvi illum Diis dicavit, unde Godbrandi,* (Gladium divinum notat.) *accepit nomen.* Nec non Eyrbyggia Saga „ þau þorolfr „oc Unnr atto Son, er Steinn het; þenna Svein „gaf þorolfr þor vin sinum, oc var hann kalladr

 „þor-

„Þorſteinn,„ i. e. *Thorolfus filium, cui Steno nomen, ex Unna ſuſcepit, qvem Thorolfus Thoro amico ſuo ſacrum eſſe juſſit, unde Thorſteni* (qvaſi Thorinum lapidem dixeris) *ſortitus eſt nomen;* & adhuc alio loco: „Sumar „þat er Þorſteinn var halfþrytugr, fæddi Þora „Sveinbarn, oc var Grimr nefndr, er hann var „vatni auſinn; Þann Svein gaf Þorſteinn Þor, „oc qvad vera ſkyllde Hof-Goda, oc kallar „hann Þorgrim.„ i. e. *æſtate qva Thorſtenus vigeſimum qvintum ætatis annum implevit, Thora infantem filium peperit, qui luſtrali aqva tinctus Grimi nomen accepit; hunc puerum Thorſtenus Thoro ſacrum eſſe voluit, eumqve ſacrorum antiſtitem fore dixit, Thorgrimumqve vocavit;* qvo intuitu non omnino falſus eſt Salanus, not. ad Egilsſaga p. 114, liberos, priusqvam nomina, a Diis ducta, accepere, eorum cuſtodiæ traditos, exiſtimans, qvamvis id ſemper ſolenni formula, ut in adductis exemplis, factum eſſe, jure negari qveat. Fuerunt deniqve alii, qvibus vel pietas, & religionis ſingularis amor, vel unius in ſpecie Deaſtri cultus, nomina mutavit, & addita determinatione ita inflexit, ut vel generale ſacrorum, vel ſpeciale Dei cujusdam nomen referrent. Prius ad oculum monſtrat Liber Orrigg. Isl. Lib. II. c. 39. p. 75. „Geir het madr agiætr „i Sogni, hann var kalladr Vegeir, Þviat hann „var blotmadr mikill, hann atti mörg börn. „Vebiörn Sygna-kappi var ellſtr Sona hanns, enn „Ve-

„ Vesteinn ok Veormr. Vemundr, oc Vegestrok „Veorn, en Vedis Dotter. „ i. e. *Vir qvidam egregius Sognensis Geir vocabatur, qvi qvod religioni Ethnicæ admodum esset deditus, Vegeir est vocatus; multi illi fuere liberi, inter filios maximus natu fuit Vebiornus Sognensium Athleta, & præterea, Vestenus, Veormus, Vemundus, Vegestus, Veorn, & deniqve filia Vedisa.* Confer Arngr. Spec Isl. p. 44. Chron. Magn. Isl. Lib. I. c. 3. Posterius probat Eyrbiggia Saga: „Hrolfr vard- „veitte þar i Eyunni þors hof, oc var mikill vin „þors, oc þvivar hann þorrolfr kalladr. „ i. e. *Hrolfus in insula (mostur) Thori delubrum custodiebat, magnusqve Thori amicus fuit, unde Thorolfi nomen illi datum.* Hactenus de rationibus nominum a religione, rebusqve divinis deductorum, egimus, unde illa non unius fuisse generis apparet. Alia enim inde ab ipsa nativitate infantibus imponebantur; alia vero constanti vulgi sermone, hominum, jam adultorum nominibus adjecta, iis, nexu haud divulso, adhæsere, & nomen, ex pristino nomine proprio, & adjecto, compositum genuere: talia nomina per accessionem qvandam adventitiam aucta, plurimis nominibus compositis, ante ignotis dedere occasionem; etenim posteri, composita illa nomina integra retinuere, suisqve liberis imposuere, qvo factum est, ut accessiones illæ, ab initio accidentales, nominis, cui adjectæ fuerunt, naturam subinde induerent, & pro parte illius si non essentiali, saltem integrali (ut loqvi amant philosophi) a posteris haberentur. Alia

Alia Nomina propria *a Sacris & religione in genere*, alia contra *a singulis Deorum nominibus* iisqve vel *propriis*, vel *honorariis*, sunt desumta. Ad *religionem in genere* pertinent; α) nomina propria a voce VE qvod sacra, sacram pacem, vel sacrorum inviolabilitatem significat, derivata; horum nonnulla ex Lib. origg. Isl. antea attulimus, qvibus *Velaugæ* nomen h.l.addere sufficiat. β) Nomina propria a generali Deorum nomine GOD, qvo divinitas, vel numen religiose cultum significatur, suam trahentia originem, illudqve præfixum habentia; qvalia sunt: *Godbrandr*, *Godmundr*, *Godormr*, *Godrun* & alia, qvibus Christiani veteres, terminum *Gud*, qvo verum Deum indicant, loco antiqvi *God* præfixere, qvod ex Gudmundi Gudbrandi & Gudrunæ nominibus, hodie in Islandia usitatissimis, facile patet: qvid qvod nomina a Guþr, vel Gunnr, qvod bellum notat, revera derivata, ad Deum & religionem monachi postea traxerunt, qvod tamen multis hic probare supersedeo. γ) Nomina a voce *rögn*, qvod etiam Deos sive numina notat, derivata, qvalia sunt *Ragnar*, *Rognvallàr*, *Ragnhilldr*, *Ragnheidr*, *Ragnfredr* & multa alia. Deniqve, δ) huc refero tam nomina propria qvibus attributa divina dedere originem, (qvomodo ab Helgr sanctus v. Helgi sanctitas, *Helgi* viri & *Helga* fœminæ nomina propria descendunt) qvam Dvergorum nomina, qvatenus illos pro qvalitatibus, vel actibus divinis, fabularum explicatores habent: & si qvæ

alia

alia cognatæ originis nomina occurrunt, hic, ne justo prolixior fiam, uberius haud excutienda.

Qvæ a *singulis Deorum nominibus* ducta sunt nomina propria, bifariam dividi qveunt; Ad priorem classem nomina, a Deorum, qvos ante Odinum Septentrionis populi coluere, nominibus, hausta, pertinent. Antiqvissimos septentrionis incolas *solem* adorasse, innuit Oda vetusta Grimnismal, solem jam Scinanda goþ, lucidum Deastrum, jam Scirleita goþ, candentis faciei Deastrum, vocans; qvin & idem Verelius (not ad Hist. Gotrici p. 37 - 46.) & Rudbeckius (Atlant. Tom. II. c. 5.), qvibus suum calculum Torfæus adjicit Ser. Reg Dan. L. II. c. 3. p. 114. insigni eruditionis & argumentorum apparatu demonstrarunt; a cujus nominibus *Sol* & *Sunna* varia nomina propria, ut Solrun, Sunnifa & alia deducta sunt. *Ignis* cultum, qvem priscis septentrionalibus tribuit Bartholinus (Ant. Dan. Lib. 2. c. 2 p. 272. seq.) Odino antiqviorem fuisse ipsa veterum philosophia, qvæ ignem pro primo rerum naturalium principio habet, innuere videtur, ita ut fabulas Eddicas diligentius paulo inspicienti, levi negotio appareat, Odinum, etiam hunc ignis cultum, ad se & socios traxisse Accedit qvod ignis cultus, solis cultui sit subordinatus, qvod & haud infirmum, pro illius antiqvitate, præbet argumentum. Videntur enim veteres, anteqvam simulacrorum & fanorum usus invaluit, ignem

ignem tanqvam Deum domesticum, sed symbolicum; coluisse, focumqve illi sacrum, domi aluisse, *arn*, vel *arin*, dictum, cujus consvetudinis vestigia, occupatio per ignem, in Libro Origg Isl. passim nominata, ast Lib. 5. c. 1. p. 148. fuse descripta, servavit; taceo alia ignis qvondam culti indicia, qvæ P. Widalinus, in Glossario Juridico Mssto, una cum ipsa cultus hujusce historia, erudite perseqvitur; qvid qvod diem Saturni, nobis Laugardag, a Sacro hocce igne nomen accepisse, Celeb. Rudbeckius, (Atl. T. II. c. 5. p. 145.) auctumat, de qva opinione hac vice ulterius disqvirere non vacat. Ab hoc igne sacro multa fluxere nomina, tam simplicia ut *Logi*, qvam composita ut Elldjarn; foco autem sacro in specie Arinbiorn & alia multa ejusdem speciei nomina propria suam debent originem: de reliqvis Diis, Odino antiqvioribus, non dicam, cum allata, speciminis loco, facile sufficiant.

Ad posteriorem classem nominum, a specialibus Deorum nominibus ductorum, illa nomina merito sunt referenda, qvæ ab Odino ejusqve sociis posterorum veneratio derivavit. Ast & illa in multiplici sunt discrimine: etenim qvædam a nominibus Deorum *propriis* alia ab *honorariis*, qvædam a *Diis & Deabus majorum*, *alia a diis Deabusqve minorum gentium*, ducunt originem, & qvæ aliæ divisiones sunt, infra suo loco explicandæ. Qvod autem veteres,

teres, nomina Deorum, liberis impoſuerint, Snorro Sturlæus teſtis eſt (ed. Svec. Tom. I. p. 9.) his Verbis „ efter Odens Nafni er kalladr Audon, oc heto Menn ſva Sono ſina, en efter „ Þors Nafni er kalladr Þorer. „ i. e. *Ex Odini nomine Audon vocatus eſt, ita enim tunc temporis filios ſuos appellare ſolebant, a Thori vero nomine, Thorerus nominatus eſt*; confer Torf. Ser. Reg. Dan. p. 121. accedat Reenhielmius, qvi poſtqvam (not. ad Thorſt. Viking. Hiſt. p. 67.) monuerat, *ea veteres nomina liberis tribuiſſe, qvæ boni eſſent ominis, ut a Diis, vel magnis aliqvibus viris deſumta, vel ab illis qvi in familia clari erant, vel etiam ab ejusmodi rebus, qvæ pulchræ eſſent audientibus*, tandem ut nomina, a Diis Ethnicorum derivata eſſe probet, ex Hauksbok (ad ſonum, Höiks-Book) locum elegantem ſubjicit, (p. 68.) qvem ex illo Chr. Wormius integrum repetit (Com. ad ſchedas p. 92.) In ſpecie uti Odini nomina in antiqvitatibus plurima occurrunt, ita & nomina propria, ab ejus nominibus derivata, non unius ſunt generis. Primum de proprio *Odini* nomine dicam, ex qvo, qvamvis Chr. Wormius l. c. neminem obſervare potuiſſet denominatum, *Auduni* tamen nomen inde eſſe derivatum, locus Snorronis Sturlæi ſupra adductus, & a Pontoppidano (Gramm. Dan. p 110.) recte obſervatus, abunde monſtrat. Verum multo pluribus nominibus propriis occaſionem juxta & originem dedere *honoraria* Odini nomina,

mina, inter qvæ primo in scenam prodeat nomen *As*, Divus, illi, qvod Asiaticorum, huc migrantium, Dux esset, honoris causa impositum; qvod plura majorum nostrorum nomina præfixum habent, (vide Worm. Comment. loc. cit. Pont. Gram. Dan. 110. 111.) a Celeb. Olao Wormio (Lex. Run. p. 9.) collecta; confer Scheff. Ups. Ant. cap. 7. p. 78. qvin & solum nomen *As*, terminatione duntaxat auctum, *Asi* viri, & *Asa* fœminæ, nomina exhibent. Alterum, Odini nomen honorarium *Hár* qvod excelsum notat, haud pauca nomina propria etiam præferunt, qvalia sunt *Hákon* ab har altus, & konr vir, qvasi virum excelsum dixeris, nec non Hásteinn, Hamundr & alia. Ad nomina Odini honoraria, non dubito qvin etiam referam appellationes ejus alias, in Edda nobis servatas, illiqve in perpetuam artium, rerumqve ab illo gestarum memoriam, ab antiqvis impositas, (confer Edda fab. 3 & 18.) qvas posteritatis veneratio assumsit, liberisqve utriusqve sexus vel integras indidit, vel nomina inde varia combinavit. Appellationes Odini, qvæ integræ nominum propriorum vicem sustinuere, sunt *Audon*, *Grimr*, *Gissr*, *Gaute*, *Hiarande*, *Loden*, *Sigmundr* & alia, unde non est qvod dubitet Chr. Wormius solum Dei alicujus nomen nonnullos habuisse, nisi forte id de nomine κατ᾽ ἐξοχὴν proprio velit intellectum, qvod tamen Inguii nomen, de qvo postea dicam, infringere videtur. Reliqvæ Odini appellationes hono-

honorariæ ex qvibus nomina propria composita vel derivata postea fluxere, adduci hic omnes neqveunt; exemplo igitur sit nomen Odini *Hrossbársgrani*, unde Grani viri nomen; *Oske*, a qvo Osk nomen fœminæ,& deniqve Herjan, unde Herjulfi nomen ortum, & alia. Qvæ licet ita sint, fateor tamen, de variis qvas Edda Odino tribuit, appellationibus, ex qvibus nomina propria manasse supra probavi; suboriri dubitationem posse; sintne forte illæ, a fabularum auctoribus ex ingenio inventæ, atqve adeo & nominibus propriis, qvæ inde deduximus, & multo magis ipso Odino longe recentiores? qvam difficultatem, nec ego, nec forsan alii facile solvent. Interim tamen patet id sine probatione assumi, atqve adeo eadem, imo meliori, qvam qva asseritur, fide, negari posse: Oppositæ sententiæ Edda manifeste patrocinatur, cujus Auctorem hæc ex suo cerebro finxisse, temere non est præsumendum, licet vel maxime omnium illorum Odini nominum exempla, in iis, qvæ hodie supersunt, antiqvitatum monumentis, non occurrant; cum, vel me non monente, constet, plurimas traditiones & vetustissimorum poëtarum carmina, hodie interiisse, qvorum nonnulla Eddæ auctorem, utpote antiqviorem, ad manus habuisse nullum esse dubium potest: Præterea, omnes Odini appellationes posterorum licentiæ acceptas referri, cave credas, cum earum haud paucas, ipso adhuc vivente, increbuisse, satis sit credibile. Nam Odinus ipse, cum vel explo-

randi,

randi, vel negotii occultioris peragendi gratia, nunc huc, nunc illuc folus proficifceretur, & hominibus fe præberet confpiciendum, ne confveti nominis ufu proderetur, alia fibi fubinde nomina, a rebus a fe geftis defumta tribuiffe fertur; qvæ ipfum recenfentem, & de iis ita loqventem, Oda vetufta Grimnismal introducit,

„Eino Nafni	*Idem Nomen*
„Hetomc alldregi	*Nunqvam ufurpavi,*
„Siz ek meþ folkom for. i. e.	*Cum inter cohortes verfarer.*

Tantum de nominibus ab Odino ductis.

Verum nec pauciora a (þOR.) Thoro, originem duxere nomina; etenim Scheffero tefte (Upf. Ant. p. 54.) *Thoronis nomen in decus honoremqve eft impofitum*, & *ab eo denominationem fortiri magnæ laudis olim putabatur; hinc variæ ab eo deductæ utriusqve fexus appellationes*, (Worm. Mon. Dan. p. 195. Schefferi Upf. ant. c. 6. p. 49.) qvarum nonnullas Reinhielmius, (l. c. p. 67.) Pontoppidanus (Gramm. Dan. p. 111.) Rudbeckius (Atlant. Tom. II. p. 339.) & alii recenfent. Omnia, qvæ ab hujus Dei nomine defcendunt, nomina propria, compofita funt, & ex Thori nomine, & voce qvadam adjecta conftant, ita tamen, ut Thori nomen, vel in principio nominis compofiti, vel in fine legatur; fola tamen Thoreri

Thoreri & Thoræ nomina ſimplicia ſunt, terminatione tantum finali aucta; Notari tamen obiter velim, in nonnullis nominibus compoſitis, qvæ Thori nomen in fine habent, literam þ, in d eſſe mutatam, propter conſonantem antecedentem duriorem; ſic pro Steinþor, Hallþor, hodie Steindor, Halldor legimus.

A Freyo etiam nonnulla nomina propria, duxere originem, ex qvibus hic, exempli loco, ſolum Freyſteini nomen allegaſſe ſufficiat.

Præter hactenus enumeratos, aliorum, qvi vel Odinum has in terras ſecuti ſunt ſocii, vel ab illo genus duxere, nomina propria, priſci ſeptentrionales ad ſuos propagavere nepotes; exemplo ſit Ingvii nomen, ex qvo Ingii nomen poſtea ortum, ut & Bragi, Semingi, Eindridi, Skioldi & alia, qvæ Aſiaticis tribuuntur nomina, crebro poſterorum uſu repetita. Eadem plane ratione propria *fœminarum Aſiaticarum*, qvæ Odinum huc ſecutæ ſunt, nomina, variis ſexus fœminini appellationibus dedere occaſionem; ut *Gerúr* qvod vi ſignificationis armatam notat, unde multa fœminarum nomina compoſita; *Idun*, *Signy*, *þrudr*, hodie & ſolum, & cum aliis compoſitum, in uſu, ut Arnþrudr, Hilldr & id genus alia.

His ita pro inſtituti ratione breviter expoſitis, ad Semi-Deorum, vel Geniorum, qvos

alias *Minorum gentium Deos vocant*, nomina, ordine deducimur, in qvibus multa nomina propria ſuam agnoſcere rationem, ignotum ei eſſe neqvit, qvi conſiderat, non tantum ſimplex Alfi nomen, qvo hæcce Deorum ſpecies inſigniri ſolet, ab antiqviſſimis retro temporibus, nominis hominibus proprii partes ſuſtinuiſſe, ſed & varia alia humana nomina inde eſſe compoſita, ut maſculina Finnalfr, Þoralfr, Gandalfr, & fœminina; Alfhilldr, Alffrun, Alfheidr, qvibus omnibus Alfi nomen vel præfixum eſt vel ſuffixum; cujus denominationis ratio, ex horum geniorum tutela, & perpetuo vitæ miniſterio, commode ſatis deducitur. Alfis *minorum gentium Deæ* ſuccedant, qvarum commune nomen Dys, geſſit puella qvædam in Islandia 1707. vivens, ut *Asdiſæ*, *Herdiſæ*, *Vigdiſæ*, & alia nomina ab eodem compoſita Steph. not. ad Saxon. p. 142.) taceam, qvotidiano Islandorum uſu in hunc usqve diem ſatis trita.

§. 5. Nomina, majorum, cognatorum, amicorum, & qvorumvis clarorum virorum, impoſita liberis.

Solennis olim, & Odino illo ultimo, niſi me omnia fallunt, multo antiqvior conſvetudo fuit, defunctorum nomina liberis imponere; qvam perpetuus feqventium ſeculorum uſus, ad noſtra usqve tempora propagavit. Talia nomina, a defunctorum nominibus hauſta, multis modis

modis differunt, ex qvibus, qvæ *majoribus*, *gentium ductoribus*, *cognatis reliqvis*, *amicis*, *benefactoribus*, & deniqve *qvibuscunqve claris viris* debentur, ordine proponam: horum nonnulla *ipsis defunctis ante mortem rogantibus*, alia, *propria posterorum pietate*, qvædam *ipsis statim infantibus*, alia *adultis* demum, solenniter sunt impósita, & qvæ aliæ differentiæ sunt. Antiqvissimam esse hanc consvetudinem, dubitari omnino neqvit, cum eam circa Trojani belli tempora jam in usu fuisse constet; nec mirum! nam (ut de majorum nominibus ad posteros propagatis in specie dicam) nil naturæ magis convenit, qvam illorum memoriam a posteris conservari, qvibus genus acceptum referunt, ast memoriæ majorum ad posteros propagandæ, nomina illorum, posteris imposita, aptissima esse merito videntur: unde facile patet ratio, cur, qvos naturæ, generis, opumqve avitarum participes nascendi sors constituerat, nominum qvoqve avitorum hæredes cognatorum pietas constitueret: Ast nomen sine re nec magnæ gloriæ, nec sustinendo natalium splendori sufficere est visum; hinc non sola nominis & memoriæ majorum conservatio in causa fuit, cur illorum nominibus appellari, posteri maximis in deliciis haberent; sed inprimis, ut heröica illorum facta, nominum, qvæ gerebant, ope, in memoriam revocantes, ad fortitudinem virtutesqve majorum imitandas incitarentur, rerumqve ab iis præclare gestarum

gloriam, æmula factorum magnitudine, æternum feræ posteritati exemplum consecrarent, dignosqve se tantis nominibus similibus ausis redderent. Ad hoc probandum in exemplum modo eat Thordus Hræda, qvi ingruente, qvem numero longe superiorem sciebat, hoste, fugere noluit, ne Kario Hordensi, ad qvem genus referebat, dissimilis, vel degener videretur, þordar Hrædo Saga cap. 8. „Eigi mundi „Horda Kare hafa látit elltazt, frændi minn! „þo nockr munr lids hefdi verit; mun ek eigi „minna hafa af hönum edr ódrum göfgum „Frendum minum, enn renna eige at óllu „óreyndu. i. e. *Haud se ita Karius Hordensis cognatus meus, ab hostibus, numero licet paulum superioribus, in fugam agi fuisset passus; jam id ad nimium ab illo aliisqve nobilibus cognatis insitum habebo, ut hoste inexperto non fugiam.* Præterea, qvo facilius familiæ a se invicem dignosci possent, nomina majorum posteros retinuisse credibile est, qvemado nomina majorum propria, cognominum loco seqvioribus seculis, sunt usurpata, & viceversa, qvædam majorum cognomina in nomina propria mutata, Helvadero (Præf. ad. Onomat-Etymol.) ita referente: *Occurrunt & qvædam in Dania nomina, qvæ ab initio propria qvidem non fuerunt, sed honoris causa, ne cognatorum memoria penitus extingveretur, ex cognominibus in nomina propria temporum successu abierunt.* Præcipua

cipua tamen nominum ad posteros propagatorum ratio, in superstitiosa, qva majores olim proseqvebantur, veneratione est ponenda; qvæ cum ad religiosum usqve defunctorum cultum procederet, ut a Diis, ita a defunctis, boni ominis causa, nomina esse deducta, qvis miretur? Etenim defuncti fortuna, nomen seqvi, & cum illo ad hæredem nominis devolvi credebatur, cujus superstitionis rationem, in doctrina de geniis tutelaribus, integræ familiæ propriis, qvos Ættarfylgiur vocat þordar Hredu Saga cap. 7., & fortunæ communicatione, a nobis Not. ad Cap. 2. Historiæ Gunnlaugi Ormstungæ fusius exposita, latere, vel unicus Svarfdalensium Historiæ locus (cap. 5.) abunde satis confirmat, ubi Thorolfus a Thorsteno fratre petiit, ut filio nomen suum imponeret, additis his verbis: „ Allar þær heillir er ek hefe haft, „vil ek hanum gefa„. i. e. *omnem qva usus sum fortunam illi dabo*; ad qvæ frater respondisse fertur: „ *god heill man fylgia nafni*, „ *þinu*, „ i. e. *bona fortuna nomen tuum seqvetur*; similia de Karlo Rufo eadem historia tradit Plura fortunæ cum nominibus propagatæ exempla suppeditant, Finnbogi Robusti Vita c. 36. „Asbiörn sagdi, at Finnboge ætte allt „se eptir sig, qvedz oc storliga vel unna han- „om at nióta, hann bad þau hión gera þat „tillæti vid sik, at láta heita eptir ser, qvadz „þess vænta at nockr hamingia mundi fylgia. i.e.„

 As-

Asbiornus omnes ſuas facultates Finnbogo filio hæreditario jure ceſſuras, ſeqve illarum poſſeſſionem ei haud invidere dixit, rogavit autem, ut ille & uxor id ſibi indulgerent, ut aliqvem filiorum ſuo nomine vocari paterentur, qvippe qvod fortunam aliqvam ſecuturam putavit. Vatnsdalenſium Hiſtoria cap. 7: „þorſteinn atti Son vid kono ſinni, „oc er Sveinninn var fæddr, var hann borinn „Fedur ſinum; þorſteinn leit á oc mælti: Sá „Sveinn ſkal heita Ingimundr eptir Módur „Fedur ſinum, oc vænte ek hanum hamingio „Saker Nafns. i. e. *Thorſtenus ex uxore filium ſuſcepit, qvi in lucem editus patri eſt allatus; hunc Thorſtenus aſpiciens, hic, inqvit, puer Ingemundi avi materni nomen accipiet, illumqve propter nomen felicem fore ſpero.* & cap. 12. ubi Ingimundus, filium aſpiciens, ita locutus inducitur: „Sa Sveinn „hefir hyrlegt augnabragd, oc ſkal ecki ſeylaz „til Nafns, oc ſkal hann þorſteinn heita, oc „man vitnaſt at hanom man hamingia fylgia „ i. e. *Puer hicce blandum habet oculorum aſpectum, hinc nomen haud longe petam, ſed Thorſtenum* (qvod avo paterno nomen fuerat) *vocabo, unde illum felicem fore, eventus dabit teſtatum.* Nec temperare mihi poſſum qvin Verbo moneam, propter ſingularem amorem, non majorum tantum, ſed & aliorum defun-

defunctorum nomina liberis interdum esse imposita, cum id ex Vilhelmi Siodi vita luculenter satis Salanus probaverit not. ad Egils & Asmunds Saga. p. 115.

Cæterum uti posteros majorum nomina assumsisse hactenus probavimus, ita nil veteribus fuit usitatius, qvam posteros de eorum nomine vocasse, qvi *familiæ Rectores* fuere; Unde, licet Lyschander, Gormonis nomen, per Aphæresin, a Thogorma derivans, Ant. Dan. Serm. 6. p. 50, nimiam hypotheseos Gothlandicæ venerationem prodiderit, vere tamen *Primos ductores multis populis nomina imposuisse*, monet p. 47. cf. Torf. Ser. Reg. Dan. p. 92. qvidni & multis, eorundem populorum hominibus? A qvo enim nomine appellationem sortiri totus populus sibi laudi duxit, id & nonnullos, in eodem populo homines, integrum assumere, majori multo honori duxisse, vero simile apparet. Ast qvid conseqventiis nectendis immoramur? cum certius afferti nostri exemplum, tam nomina ab Odino (§. 4.) deducta, qvam Gulbrandsdalenses in Norvegia præbeant, qvorum Principes, Undalino teste, Chorogr. Norv. p. 38., a Gudbrando, regionis Eponymo, Gudbrandos se dici amavere. Nominum, a populorum primis Ducibus derivatorum causam, reverentiam scilicet, illis debitam, Schefferi potius, qvam meis verbis adumbrabo,

qvæ Upſ. Ant. p. 62, ita jacent. *Juvat qvod nil ſit frequentius, qvam a Deorum nominibus, qvæ unaqvæqve gens colit, gentem ſibi facere nomen, credo, qvod non alii a plerisqve magis culti, ac in numero Deorum habiti, qvam a qvibus primum conditi, deducti in colonias, aut certis legibus in ſocietatem Civilem collecti fuere;* Cui Ducum venerationi ſedulam originum, rerumqve ab iis geſtarum conſervationem, tanqvam ſecundariam nominum ad poſteros propagatorum cauſam, qvin annumerem, non dubito.

Præter majorum & Ducum nomina, *cognatorum* qvorumvis, vita functorum, nomina, vel ob affectum naturalem, vel aliis de cauſis, liberis poſtea natis interdum imponi ſolebant; Sic filii defuncti nomen filio poſtea genito datum Torfæus narrat, qvod eo majori dignum admiratione, cum eorum nomina, qvos præmatura mors abſtulit, mali ominis eſſe habita Chron. Magn. Isl. Lib. 5. c. 2. teſtetur „ þo „hafa þat vitrir menn mællt, at menn ſkylldo „eigi kalla Sono ſina epter þeim monnom, er „ſkiótt verda af heimi kalladir, oc man ek „Son minn láta heita Giſſr, þvi þeir hafa ſidz „audqviſar verit i Haukdæla ætt, er ſva hafa „heitit her til,„ i. e. *Prudentes tamen viri dixerunt, illorum nomina, qvos præmatura mors*

mors vivis exemit, filiis non esse imponenda, hinc filium meum, (Verba sunt Patris) *Gissurum vocabo, qvi enim hucusqve in Haukdalensium stirpe, hoc nomen gessere, haud ultimæ notæ viri facti sunt.* Ex qvo loco simul apparet eorum nomina qvi in familia clari erant posteros maxime assumsisse.

Verum nec cognatorum tantum, sed & *benefactorum* & *amicorum* nomina, veteres liberis imposuisse legimus, qvo amicitiæ & beneficiorum redhostimento, gratum animum indicarent; suosqve benefactores & amicos ab oblivione vindicarent. Prius ad oculum monstrat Olai Triggvini Vita ed. Isl. Lib. I. p. 71. ubi Knutus Daniæ Rex, Gormonis, qvi illum enutriverat, & maximis beneficiis affecerat, nomen, filio a se prognato imposuisse traditur; posterius Thorsteni Vikingii Vita, qvæ Ingeburgem Beli filiam, Ingeburgis, Thorsteni conjugis, tum defunctæ, nomen gestasse perhibet. Cum autem veteres gloriæ, & nominis ad seram usqve posteritatem propagandi studiosissimi essent, inventi etiam olim sunt, qvi nomen suum, vel aliis ipsi imposuere, vel ab aliis ut id liberis imponerent, petiere, haud exiguo sibi honori futurum rati, si, qvod ipsis nomen, æternæ temporum memoriæ consecrare, matura nimis libitina invidit, egregia posterorum facta ab inferis qvasi revocarent; hinc illis, qvos

vel cognatione attigerunt, vel eximiis sibi beneficiis obstrinxerant, id inprimis negotii dederunt, qvo certiorem, naturalis affectus, officiiqve pietas votis spem faceret. Assertionem nostram suo exemplo confirmat Jokullus Ingemundi filius, qvi interfectorem, ut Sororis nuptias ei conciliaret, matri commendans ita alloqvitur (Vatnsdal. Hist. cap. 3.) „Ef þer verdr Sona „audit, edr þinum Son, þa lattu eigi Nafn mitt „nidri liggia, oc vænti ek þar giæfu af, oc „hefi ek þat fyrir lifgiöfina „ i. e. *Si tibi filiove tuo liberos suscipere contingat, nomen meum oblitum iri haud patiaris, ea autem qvam inde in me redundaturam spero, felicitas, vitæ tibi a me concessæ redhostimentum erit.* Simili fere modo ratiocinatus est Finnbogus Norvegus, cum Urdarkottum, non bonorum solum, sed & nominis sui hæredem nuncuparet; (Finboga Saga cap. 9.). „Einnig vil ek gefa „þer Nafn mitt, ok er ek ecki Spámadr, enn „þo get ek at þitt Nafn se uppi, medan Landit „er bygt; má mer þat mest Sæmd vera, oc „Frændom minum at sva ágiætr madr taki Nafn „eptir mig, sem ek ætla þú verdir, med þvi „mer verdr litit ætlat. „ i. e. *Etiam nomen meum tibi dabo, nam licet fatidicorum sacra non profitear, nomen tamen tuum, qvousqve insula hæcce suos retinebit habitatores, posterorum laudibus celebratum iri auguror;*

hinc

hinc maximus ille mihi cognatisqve meis, erit honor, insignem adeo virum, qvalem te fore conjicio, nomen, qvod mihi celebrius reddere fata negarunt, me mortuo gerere.

Deniqve, (ut & hoc verbo moneam) virorum, qvorumvis maxime celebrium nomina veteres suis qvoqve liberis imposuisse Wormius (Coment. cit. p. 93.) & Sperlingius (de bapt. Ethn. p. 171. 173.) ex Olafs Saga probarunt, etenim virtus eorum, qvorum mutuati sunt nomina, ad hæredes nominis derivari, veteribus credebatur.

§. 6. Nomina a rebus animatis derivata.

Hactenus a Deorum juxta ac defunctorum nominibus nomina propria tali argumentorum genere nixi deduximus, unde de eorum progressu, variisqve mutationibus, facile ferri judicium potest, si historiam nominum propriorum adornare nostri esset instituti. Igitur ad res animatas qvo animalia, utpote feræ, aves & reptilia, referuntur, ordine progrediar, a qvorum appellationibus, veteres haud pauca nomina derivasse, notius est, qvam ut id multo argumentorum apparatu monstrare sit opus, hinc mihi tantum præcipua animalia, qvorum appel-

appellationibus nomina propria originem debent, enumerare ſufficiat, & in his primo *Urſum*, qvi noſtratibus Biörn, & Berſi dicitur, unde tam ſimplicia nomina, *Biorn*, *Berſi*, *Biarni*, qvaſi urſinum dixeris, & fœmininum Bera, o: urſa, qvam compoſita *þorbiorn*, *Gunnbiorn*, *Hallbiorn*, *ásbiorn* & alia, a Pontoppidano (Gram. Dan. p. 112.) allata manarunt. A *lupi* nomine Ulſr, non tantum ſimplex viri nomen *Ulfr* ſed & permulta nomina compoſita diverſi generis, ut *Brynjulfr*, *Audulfr*, *Steinulfr*, *Ornulfr*, *Snæulfr*, contracte *Sneolfr*, (ſeu Sniolfr) *Ulfhedinn*, *Ulfſteinn*, *Ulfkell* & plurima alia deſcendunt. Conf. Worm. Mon. Dan. pag. 170. 202. Horum bene multa ex Venuſini origg. Dan. Bartholinus (Msst. Tom. 10. p. 353.) collegit, ex qvibus tamen nonnulla nec ab hac voce deducta, nec Danicæ ſunt, ſed Germanicæ originis. Præterea A *Jor*, qvæ eqvi appellatio Poetica eſt, fœminina *Jóreidr*, Jórun, Jódys, Jófridr, & maſculina Joſteinn. &c. Ab *Hafr*, Caper, *Hafr*, viri nomen, a *Kalfr* vitulus, *Kalfr*; a *Göltr* aper, *Galltii* nomina profluxere. &c. Inter Aves, qvarum appellationes, propria veterum nomina, præferunt, nobis inprimis nominandæ veniunt, *Aqvila*, Isl. Orn & Ari, unde ſimplicia nomina *Orn* & *Ari*, & compoſita permulta, ut *Ornulfr* & ſimilia. *Haukr*, (qvoad ſonum Höikr) accipiter, unde ſimplex *Haukr* & compoſitum *Hauknefr*, viri nomen. *Kráka* Cornix unde *krakr*, viri, & *kraka* fœminæ

minæ nomen. *Svanr* olor, unde *Svanr* viri nomen, & fœminina *Svanhilldr*, *Svanhvit* &c., orta sunt. Deniqve complures olim in septentrione nomine *Rafn*, qvod *corvum* significat, vocati sunt, (Worm. Monum. Dan. L. II. p. 113.) a qvo tam fœmininum simplex *Hrefna*, qvam composita, ut *Rafnkell*, fluxisse apparet. E Reptilium classe, solos angves, sive serpentes nominabo, ex qvorum nomine *Ormr*, qvod magnæ reptilium parti commune lingva nostra agnoscit, non solum simplicia *Ormr*, *Ormar* &c. sed & composita *þorormr*, *Godormr* pro qvo hodie corrupte Guttormr legunt, sunt derivata.

Nec plures animalium species adducam, cum vix facile dari patem, qvi nomina qva virorum qva mulierum propria ab iis desumta esse ignoret. Verum si rationes, propter qvas animantium nomina liberis imposita sunt, spectemus, major fortasse scriptorum dissensus apparebit. Fortitudinem, animumqve in bella expositum, hac nominum impositione veteres ante oculos habuisse putat Pontoppidanus, Gramm. Dan. pag. 113. ita rationes subducens suas: *Credidit Ethnica gens, condensis obsepta tenebris, impositione nominum, se id efficere posse, ut infantes ferorum & ferocium animalium naturam induerent, & bellicosi pugnatores evaderent;* qvod ulterius probaturus

turus addit: *Nam tunc temporis nil adeo cogitabatur atqve prælium & præda.* Eqvidem hanc ejus ſententiam Gautreki hiſtoria, haud parum ſtabilire videtur, qvæ (c. 23.) Urſum, regiæ celſitudinis & fortitudinis ſymbolum agnoſcit; accedit, qvod reliqvis veterum inſtitutis haud male conveniat, eos hoc fortitudinis & magnanimitatis emblemate, liberorum animos ad res bellicas accendere voluiſſe; qvemadmodum animalia ferocia, qvæ divinationes & ſomnia paſſim præferunt, viros militares ſignificare olim crediderunt. Præterea, uti Homerus bellorum Duces cum feris ſæpius comparat, ita & noſtræ Antiqvitates, Athletas & milites, animalibus non una vice aſſimilant, ratione, ut videtur, roboris, venuſtatis, fortitudinis, vel ferociæ deniqve habita, qvomodo Sigurdum Fafneri occiſorem, cum Cervo componit, Godrunarqvida; qvid qvod, ipſam ultionis & nocendi libidinem, lupi emblemate repræſentat Brynhilldar qvida his Verbis:

"þat ræþ ec þer it tiunda,	*id tibi decimum conſulo:*
"At þu truir alldregi	*Ne unqvam, credas*
"Vaſom vargdropa,	*Miſero exulis (occiſi) filio,*
"Hvarſtu ert broþur bani,	*Cujus fratrem interemiſti*

"eþr

"Eþr hafir þu felldann fauþur; *Vel patrem prostravisti*
"Ulfr er i ungum Syni. i. e. *Nam tenellus filius, lupum*
i. e. Irreconciliabiles iras, *fortasse alit.*

Attamen, cum omnia illa animalia, ex qvorum appellationibus nomina ducta sunt, ferocia non sint, qvæ ex rei militaris gloria desumitur, rationem, in imponendis animalium nominibus, veteres unice & semper spectasse, dubitari possit; nec scrupulum facile eximeret ipse Pontoppidanus, propter calliditatem & nocendi libidinem, nomina ab angvibus deducta statuens, (l. c) cum nocendi libido, a fortitudine, ex antiqvorum mente sit diversa, imo illi e diametro opposita; atqve adeo non virtutum sed vitiorum habenda loco, qvorum memoria veteres, qvos boni ominis nomina amasse supra probavi, suorum nomina fœdare voluisse vix est credibile; nisi forte animositatem & pugnandi alacritatem, qvam virtuti & laudi ducebant, in feris spectaverint, seposita interim vitiorum imagine, qvæ in iisdem animalibus occurrit, ut fieri solet in emblematibus, & ipsa insignia, a feris ducta probare videntur. Hancce dubitationem firmare ulterius posset, qvod fœminis æqve ac viris nomina a ferarum appellationibus deducta majores nostri imposuerint, qvo nullam rei militaris & fortitudinis rationem habere potuerunt, cum militiæ cura, qvicqvid alii de Ama-

Amazonibus veterum ſeptentrionalium oggerunt, ſupra communem ſexus ſeqvioris ſortem eſſe videretur, atqve adeo ſolis viris incumberet, qvod pauca fœminarum, piraticæ vel armis deditarum exempla infringere non valent: Interim negari omnino neqvit, antiqva fœminarum nomina, ſive a feris ſive ab armis deducta, ratione ſoni & Etymologiæ, notionem in occultare venuſtatis & virtutis ipſarum; ſcilicet innuebant, tantas ipſis ineſſe dotes, ut proci nullatenus dubitaturi eſſent, pro"iis in matrimonium ducendis armis decertare. Talium forte dubiorum conſcius Hickeſius, in nominibus, qvæ a feris ducta ſunt, explicandis, ad rationes ſymbolicas magis & hieroglyphicas, confugit, nam Gram Island. a ſe editæ pag. 4. angvis nomen, qvo fidei & affectus indiſſolubile vinculum ſignificari putat, veteres ſibi impoſuiſſe conjicit, ut hac velut fidelitatis & mutui amoris teſſera, officii memoriam ſuſtinerent, qvam opinionem, nec Celeb. auctori invideo, nec illi, ſimilibusve aliorum hac de re ſententiis, ulterius excutiendis immorabor.

Nonnulla animalium nomina ob robur & fortitudinem, alia ob formæ venuſtatem hominibus impoſita non nego, aſt plurimorum tamen, qvibus animalia dedere originem, hominum propriorum rationes, ex Theologia gentili, & fabulis, ad idololatriam & Philoſophiam veterum ſpectantibus, deducere, major forte veri ſimili-

ſimilitudo ſvadet; inprimis cum plurima animalia, qvorum nomina homines ut propria aſſumſere, ſingulis Diis ſacra, & ſpeciali Deorum, vel tutelæ demandata, vel miniſterio addicta, veterum conſtituerit ſuperſtitio. Horum igitur nomina tanqvam divinæ cuſtodiæ, favoris, vel cultus ſymbola, boni ominis cauſa hominibus impoſita eſſe non mirabitur, qvi nomina, a rebus divinis & religione derivata, auſpicatiſſima eſſe habita, perpenderit. Nec jam tempus, nec diſſertationis anguſtia permittit, omnium iſtorum animalium cultum, & abſtruſos in ſacris veterum myſticis ſignificatus, prolixe afferere; hinc pauca duntaxat exempli cauſa in medium producam. *Lupos* binos qvorm unus Solem, alter lunam perſeqvitur, Eddæ mythol. 10. inducit; totidem etiam lupos, Odino, qvem ſolis cultui ſuum ſubſtituiſſe conſtat, non individuos modo in Valhalla comites, ſed & epularum participes, adſcribit Barthol. Ant. Dan. p. 425. qvippe animalia ferocia, & humano ſangvine impenſe gaudentia, cæſorum Deo optime convenire, ejusqve tutelæ aptiſſima eſſe videbantur; qvin &, uti armis occiſorum animas, ad Odini gaudia migrare Edda paſſim inculcat, ita & lupum qvi omnium defunctorum vita paſcitur exhibet, Mythol. 10. "Hinn " gamli Gygr fædir at Sonom marga Jötna, oc "alla i vargs Lykium, oc þadan ero komnir "þeſſir Ulfar, oc ſva er ſagt, at af Ættinni verdr " ſa einn Máttkaſtr, er kalladr er Manna-garmr,

 "(rectius

"(rectius forte Mána-Garmr) hann fyllest med "Feörvi allra þeirra Manna er deya, hann "gleypir tungl oc stöckvir blódi himin oc lopt "öll." i. e. *Antiqvissima Gyges multos enititur filios Gigantes, omnes lupina forma horridos, & ex hoc genere qvi Solem & Lunam persequuntur lupi prodiere. In toto tamen stemmate potentissimus erit, qvi Maana-garmr (lunæ canis v. hostis) dictus, omnium defunctorum vita satiatur, is lunam devorabit & cœlum & aerem sangvine asperget;de his ita Volupsa:*

"Austr sat hin alldna	i.e. *Versus orientem sedebat antiqva (Gyges)*
"I Járnvidi,	*In (Sylva) Jarnvido (ɔ: ligni ferri)*
"Oc fæddi þar	*Ubi enixa est*
"Fenris Kindir;	*Lupi filios;*
"Vard af þeim öllum	*Ex qvibus evasit omnibus*
"Einna nockor	*Unus præcipuus,*
"Tungls tiugare	*Lunæ vorator*
"I Trölls hami:	*Giganteæ formæ,*
"Fylliz fiörvi	*Qvi satiatur vita*
"Feigra Manna,	*Hominum, morti destinatorum.*
"Rydr Ragna Siaut	*Aspergens divinam sedem*
"Raudom dreyra &c.	*Rubro sangvine,*

plura luporum exempla, tam fabulosa Deorum septentrionalium historia, qvam philosophica vete-

veterum de rerum originibus & interitu ænigmata, ſubinde inſpergunt, in qvibus lupus ille Fenris, Odinum devoraturus, (Eddæ fab 48.) facile primas tenet; Qvæ ſub hiſce vel ſimilibus fabularum involucris veritas lateat, jam non disqviram, cum ex ſupra adductis Eddæ teſtimoniis, luporum mentionem in ſymbolica veterum Theologia & philoſophia ſatis crebram fieri, eosqve Odino ſacros fuiſſe, ſatis pateat; qvalis ſuperſtitionis memoriam lupi figura, in monumento Scorbyenſi apud Wormium, Monum. Dan. pag. 183. obvia, ſervare videtur. Qvamvis nec omnino negaverim, eam, viri cujusdam illuſtris inſigne indicare poſſe, qvod cum ſententia allata facile conciliari poteſt. Singulis majorum gentium Diis ſuos *eqvos* Edda (Mythol. 14) tribuit, & Balderi eqvum ferali cum eo flamma conſumtum tradit; (Mythol. 43.) Hinc mos eqvos una cum defunctis ſepeliendi (Barth. Ant. p. 409.) Hinc eqvorum in ſacrificiis & auſpiciis uſus; Hinc eqvi ſacri diis dicati; Hinc deniqve ipſi eqvi pro Diis culti, de qvo alibi fuſius agendi dabitur occaſio. *Capros* Thoro ſacros, ejusqve Carpentum, a qvo Aukuthori cognomen accepit, trahentes, Eddæ fab. 19 & 38. producit. *Boum* cultum in Oriente, inprimis Ægypto, ſatis freqventem, Septentrionalibus populis etiam in uſu fuiſſe, exempla a Barthol. Ant. Dan. pag. 483. ſeq. allata ſatis teſtantur. Cimbros in ſpecie taurum coluiſſe Bircherodius peculiari tractatu erudite probavit;

vit; &, ut recentius longe & arbitrarium exemplum addam, Hårekum Norvegum, Taurum ingentem, idoli loco habuiſſe Arngrimus perhibet Crymog p. 145. *Aprorum* mentionem fabulæ ſæpius faciunt; Nam præter aprum Særimner, cujus carne Monheroes in Valhalla victuri credebantur, (Edd. fab. 33.) alium, qvi Gullin-burſte vel Slidrugtanne vocatur, Freyo ſacrum, ejusqve currum trahentem, Edda fab. 43 & 59. exhibet; taceo Aprum invincibilem, qvem Adilſum Sveciæ Regem coluiſſe, Hrolfi Krakii Vita teſtatur; ut & qvæ de verre apud Sviones ſacro, vel Diis immolato, Celeb. Verel. pro more ſuo erudite differit (Not. ad Hiſt. Rolf & Gautr. p. 50. 51. 52. & not. ad Hiſt. Hervoræ p. 139.) De qvadrupedum cultu hactenus pro inſtituti ratione ſatis; jam ad *Aves* tranſeo, qvorum in ſacris & magicis operationibus uſus, in dubium vocari neqvit, cum auſpicia olim ab avibus ſumta fuiſſe Cel. Bartholinus Ant Dan L. III. cap 3. pag. 667. multis exemplis aſſertum iverit, qvibus nos, ſi id dicendi brevitas ferret, longe plura addere poſſemus. Qvoniam igitur ſingulorum, unde nomina ducta ſunt, volatilium cultum fuſius hic perſeqvi non vacat, exempli cauſa nobis monere liceat, *Corvos*, qvorum appellatio plurima nomina propria genuit, non tantum Odino peculiariter ſacratos, (Barth. Ant. p. 429.) ſed & a nonnullis olim pro Diis cultos fuiſſe (l. c. pag. 474 - 476.) Tandem ad Reptilia veniam, ex

ex qvibus *Serpentes* vel *Angves*, utramqve in Theologia, Magia, & Philosophia veteri paginam faciunt; Serpentis figuram mundi simulacrum, (Rhodigin Lect Ant. p. 1702) & divinitatis effigiem, variæ gentes habuere; alii, & in his Sarmatæ Europæi, serpentes pro Diis domesticis coluere (Voss. Orig. Idol. L. IV. c. 63.) Serpentis figuram inter characteres magicos collocat carmen vetustum, a Torfæo (Ser. Reg. Dan L. II. c. 4. p. 138.) in lucem productum; jam Odinus artium Magicarum peritissimus celebratur, unde angvium nomen assumentibus, facilis ad eum esse respectus potuit. Serpentes heroibus & Proserpinæ sacros fuisse Bartholinus monet, (Ant. Dan. p. 491.) qvæ & ratio esse videtur, cur veteres, genios locorum per angves indicaverint. (Rudb. Atl. Tom III. pag. 25.) Serpentem deniqve, ut multos alios populos taceam, Vandalos pro Deo coluisse Kochius putat, indeqve insignium Vandalicorum originem derivat, (Diss. de cultu Serp.) qvalem Serpentum cultum ad Danos etiam vetustissimos facile transtulerit, qvi *Balthеum Regem tortuosum Draconem in insignibus gestasse*, Lyschandro (Ant. Dan. Serm. 3. p. 16.) crediderit.

Ast etiamsi, qvæ hactenus adduximus argumenta, animalium, qvorum appellationibus nomina propria originem debent, cultum, extra omne dubium ponant, propiorem tamen adhuc nominum, ab animalibus deductorum, ratio-

tionem, ipsa Odini historia suppeditat, qvæ illum & socios, variorum animalium formas assumere solitos tradit; de Odino ita Sturlæsonii Versio Dan. p. 5 & 6. " Odin kunde og forvende sin Ham og Skickelse, og hands Legeme laae ligesom det havet sovit eller været dødt, og hand siuntis da, at være en Fuel eller Diur, Fisk eller Orm, og kunde i en liden Stund fare vide i andre Land." Conf. Eddæ fab. 62. qvæ illum angvis & aqvilæ exuviis indutum introducit &c. Unde nomina propria, ab animantium derivata appellationibus, ad Odini instituta eo lubentius refero, partim cum eædem, qvæ Odini nomina assumere posteris svaserunt, rationes, (§. 4.) animalium qvoqve, qvorum se forma conspiciendum Odinus præbuit, nomina, svadeant assumenda; partim qvod appellationes, ab animalibus deductas, ipsi Odino Antiqvitates tribuant, adeo ut posteri, animalium nominibus usi, Idoli & conditoris sui exemplum, secuti esse videantur. Qvibus rite pensitatis, de nominibus propriis, ab animalibus deductis, tale in genere ferri judicium posse videtur: Ante Odini adventum (nam illo antiqviora esse probabile est nomina a feris deducta, tam ad venustatem, robur, imo deformitatem & reliqvum corporis habitum, qvam dotes animi, fortitudinem & mores indicandos imponebantur; (conf. Salan. not. ad Egils Saga p. 98. & 101.) Sed postqvam Odinus superstitiosam sui venerationem stabiliverat, ut

ut cœtera, ita hanc appellandi rationem, illius institutis posterorum pietas etiam aptavit.

§. 7. Nomina a rebus bellicis & armis.

Inter nomina propria, a rebus *inanimatis* vel *Idealibus* deducta, qvæ rei militari originem debent, agmen ducunt: Hæc vel ad *bellum in genere*, vel ad *singula*, qvibus miles utitur, *arma* pertinent. A *Bellis in genere* multa nomina propria manasse, exemplo sit. α) Vox *Styr*; qvemlibet tumultum, & poëtice prælium significans, unde Styr viri nomen, olim & hodie rarum &c. β) *Baud*, qvæ prælii appellatio poëtica est, hinc *Baud-var*, (inter pugnandum cautus), *Baudmodr*, & alia nomina. Sic γ) ab *Her*, exercitus, masculina *Herbrandr*, *Hermodr*, *Hersteinn*, Hermundr, & fœminina *Herdys*, Her-vör &c. δ) A *Valr* strages, *Vali*, *Valbrandr*, *Val-þiofr*, *Valgardr*, & fœmininum *Valgerdr* &c. descendunt; Nec dubito qvin ad rem militarem in genere etiam referam, nomina propria, ab illis Deorum, qvos bellis præesse antiqvitas credidit, deducta appellationibus, qvas ad ipsa prælia significanda, perpetua seqventium Poetarum licentia transtulit: Qvomodo ab *Hilldr*, qvod uni ex Valkyris, sive Deabus bello cæsorum ministris, nomen est, (Edd. fab. 31.) & pro ipso prælio sive bello a Poëtis sæpissime adhibetur, nomina propria,

 Hilldr,

Hilldr, *Hilldridr*, *Hilldigunn*, & alia nomina fœminina orta sunt; qvæ Salanus not. ad Egils Saga pag. 92. recenset, sed ab Hulld vel Hilldi, studio in aliqvam rem propenso; & omnes difficultates debellante, minus recte deducit, atqve adeo Schefferum, Hildæ nomen ab Hilli, gratia oris, derivantem, immerito reprehendit; nam licet utraqve derivatio á veritate sit aliena, Schefferiana tamen ad lingvæ veteris genium propius multo accedit. Huc & referenda Odini appellatio *Gunnr*, bellatorem denotans, in fœminino *Gunn* vel *Gunnr*, Bellona, Poetis pro ipso bello sæpius in usu, unde masculina nomina *Gunnarr*, *Gunnlaugr*, *Gunnbiörn*, *Gunnsteinn*, & fœminina *þorgunna*, *Hilldigunn*, & similia.

Qvæ a *singulis armorum appellationibus* petita sunt, nomina propria, tam multa sunt, ut minima illorum pars hic adduci qveat, hinc nonnullas tantum, qvæ nominibus dedere occasionem, armorum appellationes, illustrandi gratia in medium produxisse sufficiat; qvales sunt α) Gladiorum appellationes poeticæ *Hiör* & *Brandr*; a qvarum priori *Hiörvardi*, *Hiörleifi* &c, a posteriori simplex *Brandi* (Worm. Lex Run. pag. 21,) & composita *Thorbrandi*, *Herbrandi*, *Gudbrandi* (Pont Gram. Dan. p. 112.) & alia nomina propria prodiere, qvibus & nomen viri Hialte, a capulo gladii, qvod nobis *Hiallt* vel *Hiöllt* audit, deductum, addi meretur. β) Hastæ appellatio poëtica *Geir*, unde simplex

Geir,

Geir, & composita *þor-geir*, *Geirmundr*, *Ve-geir*, *Geir-ny* &c. (Cf. Worm. Lex. Run. p. 41-42.) γ) *Brynia* lorica, hinc *Bryngerdr*, *Brynhilldr*, *Bryniulfr* & alia. δ) *Boge* arcus, hinc *Boge* simplex, & composita *Hunboge*, *Finnboge*. ε) *Hialmr* galea, a qvo *Hialmr*, & Hialmarr, qvæ galeatum, Synecdochice significant. ζ) *Skiölldr* Clypeus, hinc Skiölldr viri nomen, & *Rönd* margo Clypei, qvo Poetæ omnia interdum arma, inprimis qvæ tegendo corpori inserviunt, intelligere solent, hinc *Randver* viri nomen. Et qvis omnia enumeret?

Mira in hisce nominibus compositionis occurrit varietas, nunc enim, tam rerum bellicarum in genere, qvam specialia armorum nomina, cum Deorum nominibus; nunc bina Deorum nomina bellum significantia secum invicem; nunc voces vel exercitum, vel bellum, denotantes, cum singulorum armorum nominibus; nunc deniqve rerum ad militiam spectantium appellationes, cum animalium nominibus, imo rebus qvibuscunqve inanimatis, conbinatæ, apparent; qvam nominum compositorum diversitatem, ut & novorum nominum existentiam, haud parum promoverunt, qvas factum aliqvod singulare priscis nominibus sæpiuscule addidit accessiones (§. 4. p. 17.) qvæ posterorum usu receptæ, temporis lapsu cum prisco nomine in unum coaluere. Sic Leifus, accepto, qvem occiso possessori detraxerat, gladio,

Hiorleifi nomen accepit; (Lib. Origg. Isl. Lib. I. c. 5. p. 6.) Sic Hrolfus, ob singularem Thori cultum, Thorolfus vocatus (§. 4.) Sic deniqve Höttus, Rolfi Daniæ Regis munificentiæ Gladium Gullinnhialtum, & simul inde desumtum Hiallti nomen, retulit acceptum; ad qvem locum Salanus (not. in Egils Saga p. 100.) annotat, nostrorum antiqvorum pueros alia nomina, alia sæpe juvenes gessisse, pro ut e molli in fortius ingenium, vel contra, transirent. Alia, qvæ numero fere carent, nomina, accessionibus adventitiis aucta, vel innovata, ast a posteris integra assumta, prætereo.

Qvas in nominibus, a re militari & armis deducendis, veteres spectaverint rationes, Antiqvitatis peritum latere neqveunt; Neqvaqvam enim mirum est, eos ab armis nomina formasse, cum non solum iis assvefacti essent & innutriti, sed & iis qvam maxime delectarentur, & in eorum exercitio maximam virtutem existimationem & gloriam collocarent; idqve partim ut vel solum nominis emblema, avitæ fortitudinis & suæ terrorem circumferret, gloriæqve armis partæ famam augeret; partim ut animum, rei militari deditum, seqve ipsos Bellonæ sacros, ipso nominum indicio testarentur; partim ut continua hac belli recordatione fortiores evaderent, & veri nominis pericula, qvotidiana imaginarii periculi consvetudine, velut assvefacti, alacrius subirent; partim ut hoc qvasi Sym-

Symbolo, Odini, qvem, ut bello defunctorum, ita bellorum Deum antiqvos coluisse Schefferus (Upf. Ant. p. 71) & alii Auctores sunt, speciali tutelæ se commendarent; partim deniqve ut fidos se Odini seqvaces ejusqve institutorum tenacissimos monstrarent, cui etiam ipsi appellationes bene multas, a rei militaris studio deductas, & in Oda Vetusta Grimnismal adhuc superstites, antiqvitas imposuit, qvæ indicio sunt nomina a re militari deducta, ad religionem Ethnicam, etiam referri posse.

§. 8. Nomina propria ab indole & habitu corporis desumta.

Varia Gigantum & Dvergorum nomina, naturam illorum & indolem significatu suo referre (§. 1.) monui; jam Gigantes, Hervarar-Saga teste, ante Odinum in Septentrione fuerunt, unde, qvæ ab indole & habitu corporis petuntur, nominum propriorum rationes, ante Odini adventum in usu fuisse, satis, opinor, apparet: nec enim aliud naturæ magis convenit, qvam nomina, rerum, qvibus dignoscendis imponuntur, non externam tantum faciem, sed internam qvoqve naturam & indolem repræsentare, unde de rebus, vel solo nomine audito solidum ferri judicium posset. Hæc si in nominibus imponendis veteres semper spectassent, esset profecto, qvam ex accuratiori nominum vetusto-

vetuſtorum notitia ſperare poſſemus, haud exigua utilitas, qvippe qvæ, ubi hiſtoricæ notitiæ defectus, ingenium atqve mores veterum in obſcuro reliqverit, non rerum tantum geſtarum indicia, ſed & haud contemnenda indolis præberent argumenta, qvibus ſuffulti diſtinctos nobis virorum illuſtrium characteres formare poſſemus: qvo fortaſſe reſpectu, Odino, & aliis, migrationis Aſiaticæ comitibus, varia nomina, indolem eorum & res geſtas ſignificantia, & in Edda veterumqve poetarum carminibus hodie obvia, antiqvitas impoſuit; imo hominibus etiam nomina ab indole petita veteres dediſſe ſvadere videtur Gautreks Saga, qvæ (Cap. 1.) puellam ad Regem ita verba facientem introducit. "Fader minn heiter Skapnar-"tungr; þvi hefer hann þat Nafn, at hann er "ſva glöggr umm koſt varn, at hann ma ei ſiá "at þverri; Moder min heiter Tótra; þvi hefer "hon þat Nafn, at hon vill alldrig önnur Kæde "bruka, enn þat ſem ádr er ſlitit; - ek heiti "Snotra; hefi ek þvi þat Nafn, at ek þottiz "viſuſt allra var." i. e. *Pater meus Skapnartungr vocatur, id illi nomen inditum, qvod victus noſtri rationem adeo diligentem habeat, ut conſumi aut minui nullo modo patiatur; Mater mea, qvod nullis, niſi qvæ uſu jam detritæ ſunt, veſtibus, uti velit, Totra audit; ego autem, qvod omnium noſtri moribus & veſtibus lepidiſſima viderer, Snotra ſum*

ſum vocata. Eqvidem hac auctoritate nixus Cl. Verelius, not. ad eandem Hiſtor. p. 18 & 19., *nomina omnia propria a cujusqve ingenio & indole olim ducta* fuiſſe concludit; Verum 1) omnes aliæ rationes, qvas in nominibus imponendis veteres ſpectaſſe præſens noſtra Diſſertatio extra dubium ponit, huic ſententiæ, ut totidem argumenta opponi qveunt; 2) Si verum fateri liceat; uti qvæ ſupra adduximus, ita plurima alia, qvæ ab unius in ſpecie hominis indole petuntur, nomina, in relationibus fabuloſis, maxime offendi ſolent, adeo ut ſuſpicio ſit, talium relationum Auctores, qvo nomina rebus melius convenirent, illa, cum fabulis ipſis, ex ingenio finxiſſe ſuo, verisqve aſſuiſſe narrationibus. Qvibusdam forte, cur nomina propria ab indole peterent, affectata antiqvitatis oſtentatio in cauſa fuit; credentibus ſcilicet, ſe poſterorum credulitati facilius impoſituros, magnamqve figmentis ſuis antiqvitatis opinionem, auctoritatem magnam acceſſuram eſſe, ſi, qvam antiqviſſimis borealibus aliqvando in uſu fuiſſe animadverterunt, nominum imponendorum rationem, etiam ſeqverentur. Nam licet falſum omnino ſit, omnia olim nomina propria ab indole eſſe ducta, antiqviſſimos tamen ſeptentrionales in nominum impoſitione aliqvam interdum indolis tam in genere (§. 10.) qvam in ſpecie, habuiſſe rationem, vel antiqvorum Gothorum exemplo liqvet, qvos poſtqvam ex ſepten-

ſeptentrione dudum egreſſi fuerunt, hanc conſvetudinem retinuiſſe Jornandes & alii teſtantur. 3) Nec, anteqvam idoles perſpici potuit, nomina inde deduci potuere; Sed infantum indoles ſtatim perſpici neqvibat, hinc nec inde nomina infantibus imponi confeſtim potuere, Jam certo certius conſtat, infantes, ſtatim ac in lucem editi fuere, nomina accipere ſolitos: inſolitum enim eſt, & ſimili qva ſciam exemplo caret, qvod de Hiorvardi filio Edda Sæmundi refert: "Hiörvardr oc Sigrlinn átto Son mikinn "oc vænann; hann var þögull, ecki Nafn feſtiz "vid hann." i. e. *Hiorvardus ex Sigrlinna filium magnum & formoſum ſuſcepit; qvi taciturnus erat, nec ullum ei adhæſit nomen.* Qvare haud pauca, qvæ in fide dignis monumentis ab indole unius hominis ſpeciali ducta, nomina propria deprehenduntur, poſtea acceſſiſſe (§ 4. & 7.) & vel nominibus, qvæ infantes antea geſſere, adjecta, nomen ex priori proprio & adjecto compoſitum, vel novum, veteri neglecto, produxiſſe, veriſimile mihi efficiunt multa antiqvitatum noſtrarum exempla. Sic Droplaugar Sona Saga unum producit, ob ingenii duritiem Oſvifi nomen, qvod audacem ſ. res aleæ plenas parvi pendentem notat, ſortitum; Sic Ulfum, qvod ingruente veſpera difficilior, & ſupra communem hominum ſortem moroſior eſſet, Kvelldulfum vocatum Eigils Saga memorat. Maximam tamen aſſertioni noſtræ lucem affundit

dit Eyrbiggia Saga, de Snorronis Curionis nomine agens, his Verbis. "Nockrum nottom fydar fæddi þordys kona hans barn, oc var fa Sveinn kalladr þorgrimr eptir fedur finum, hann var helldr ofvifr i Æskunni, oc var hann þvi Snertr (Snerrer) kalladr, oc eptir þat Snorre." i. e. *Paucis a Thorgrimi morte noctibus, Thordisa uxor filium peperit, qvi Thorgrimi patris accepit nomen - hic qvod in juventute tumultoso esset ingenio, primum Snertur vel Snerrer, post Snorre vocatus est*, confentit Gisla Surffonar Saga cap. 18. "Sveininn var vatni aufinn, oc fyrft nefndr þorgrimr eptir fedur finum, oc er hann vox upp, þotti þeim hann þungr i Skaplyndi, oc var fnuit Nafni hanns oc kalladr Snorre." i. e. *Puer aqva lustrali tinctus, primo Thorgrimi patris nomen accepit, ast cum adolesceret, difficili ingenio esse videbatur, unde novum illi Snorronis nomen*, qvod veteri neglecto poftea femper retinuit, *est impositum.* Eadem fere de nominibus ab habitu corporis, qvi ætatem fupponit ductis, nos fentire jubet Logi exemplum, qvem ob proceritatem Halogium Thorfteins Saga c. 1. vocatum tradit, qvale illi nomen, ante ætatem adultam, accedere omnino non potuit, qvippe qvam ftaturæ magnitudo manifefte fupponit; Si qvæ autem contra nomina, formæ venuftatem, aut vitia naturæ connata, atqve adeo illam corporis conftitutionem, qvæ infante

infante in lucem edito confestim se prodit, supponunt, statim imponi potuisse, & revera imposita esse, ratio svadet. Qvæ cum ita sint, nonnulla olim nomina, tam a speciali corporis constitutione, inprimis si qvid insoliti contineret, qvam ab indole unico individuo propria, deducta esse, apparet; qvorum qvædam ad posteros propagata sunt, & ab iis assumta, non qvod iis, ob similem, vel corporis vel animi statum convenierent, sed qvod eorum majores iis usi fuerant: qvomodo multa olim nomina ratio vel casus specialis primo induxit, qvæ ab aliis postmodum assumta, specialem, qvi iis prior respondit, significatum, generaliori notatione permutarunt. Verum multo plura, qvæ corporis habitum & indolem respiciunt, vetusta nomina, generalia sunt, & vel roboris, pulchritudinis & magnitudinis corporis, vel affectionum animi qvarumvis, puta magnanimitatis, hilaritatis, (ut *Teitr* i. e. lætus, alacris) alacritatis, urbanitatis, ardoris, & aliarum, qvas magnæ olim laudi antiqvitas duxit, virtutum ideam continent; qvali allusione, nomen suum exprimentem Atlium introducit Edda Sæmundi in Helgaqviþa Haddinga-Scata, cum Hrimgerdem Hati Gigantis filiam ita alloqveretur:

"Atli ec heiti,
" Atall scal ec þer vera,
" Mióc em ec gifrom gramastr;
" Urgann Stafn

"Ec

" Ec hefe oft buit
" Oc qvaldar qvelldriþur.

i. e.

Atlius nominor,
Strenuus tibi ero (hoftis);
Nam generi giganteo maxime infeftus fum;
Proram rudentibus munitam
Sæpius inftruxi (v. tenui)
Et fœminas giganteas (noctu infeftantes) *vexavi.*

imo ipfum Odini nomen ab Odr, qvod fapientiam notat derivari, vulgata fatis antiqvariorum noftratium eft fententia. Cætera nonnullis, qvæ indolem fpectant nominibus propriis, præfentium Sybillarum, vel aliorum fapientum, de infantum indole conjecturas originem dediffe, Salano (not. ad Hift. Eg. & Asm. p. 114.) concedo, idqve nec immerito; nam præter ea qvæ de Parcis, nec non fœminis fatidicis Celeb Barthol. (Ant. Dan. Lib: III.) erudite differit, eas non futuram tantum nafcentis fortunam prædicere, fed bona qvævis interdum apprecari folitas, tradit Helga qviþa Hundingsbana

"Þa hafdi Helga	*Tunc Helgonem*
"Inn hug om ftora,	*Illum Magnanimum*
"Borghilldr borit,	*Borghillda enixa erat,*
"I Bralundi;	*In Bralundi;*
"Nott var i bæ,	*Nox erat in ædibus,*

"Nornir qvamo,	*Cum Parcæ venirent,*
"þær er audlingi	*Quæ regio puero,*
"Alldr um fcopo;	*Fata ftabiliverunt;*
"þann bádo fylci	*Illum vovebant Regem*
"Frægftann verda	*Maxime inclytum fore,*
"Oc Budlunga	*Et principum*
"Beftann þiccia	*Optimum habitum.*

Qvibus parcarum five votis, five conjecturis; cum parentes, propter infignem, qva illæ olim valebant auctoritatem, eventum certo refponfurum, non poffent non credere, apta qvidem fane inde nominis occafio fumi poffe videbatur; abfit tamen ut omnia, qvæ huc referuntur, nomina, Parcarum conjecturis adfcribam, cum fimilibus antiqvitatum teftimoniis facile monftrari qveat, ipos parentes, proprio inftinctu, talia liberis nomina impofuiffe, tam fuæ exfpectationis, & qvam de liberorum virtute fovebant, fpei indicia, qvam qvod ipfa illa nomina, aliqvid ad virtutem & bonam indolem momenti trahere, arbitrarentur.

§. 9. Nomina propria a circumftantiis nativitatis haufta.

Qvemadmodum nomina propria ab habitu corporis & indole defumta, ad *idealium* claffem (§. 3.) pertinere qvilibet facile videt, ita qvæ a nativitatis circumftantiis petuntur, iisdem

iisdem merito veniunt accenſenda Ad naſcendi circumſtantias refero 1 facta vel eventus extraordinarios, qvi generationi & nativitati infantum dedere occaſionem 2) alios qvoscunqve eventus inſolitos, vel nativitate priores, vel illam ſecutos, ſive infantem ipſum, illiusqve parentes propius reſpexere, ſive minus. 3tio. deniqve, qvam de progenie recens nata, & generis claritate, illius meritis augenda, parentes ſpem & opinionem conceperant, & qvæ id genus alia ſunt; a qvibus nomina olim derivata fuiſſe conſtat, tam ut factorum inſolitorum memoriam nomina ſuſtinerent, qvam ut majorum expectationem, & alia ſive proſperæ, ſive infauſtæ, nativitatis omina, nominum ope, animo revolventes, ad magna qvævis, qvæ æterno nominis monimento inſervitura eſſent, intrepide ſuſcipienda incitarentur; Etenim ea veterum ſuperſtitio fuit, ut haud pauca qvæ nativitatis tempore minus vulgaria acciderunt, ominis loco haberent, eaqve futuram infantum fortunam vel infelicitatem portendere ſibi imaginarentur; hæc ſi felicia fuerunt omina, eos fortunæ indulgentiam pari rerum geſtarum magnitudine illuſtrare ſtuduiſſe non eſt ambigendum; ſi vero infauſta, tum qvod fortunæ defuit, heroïcis facinoribus ſuppiere, nec omni caruit laude; qvæ & Gretteri Athletæ Sententia fuit, qvi fratri Thorſteno, res ab eo geſtas admirato, ſed ſiniſtram ejus fortunam ſimul incuſanti, ita reſpondit Gretters Saga cap. 25. "Þeſſ verdr

"getit sem gert er." i. e. *qvæ, ab infelice licet, egregie facta sunt, hominum tamen sermone circumferuntur.* Rariora eqvidem fateor sunt qvæ nascendi circumstantiis debentur nomina, attamen consvetudinem ipsam Odino antiqviorem esse (§. 1.) monui; ast qvod ne ejus qvidem adventu plane abolita sit, argumento sunt ejus observatæ exempla Odino recentiora; qvorum primum Gautreks Saga c. 1. subministrat, ubi Rex Gothiæ pellicem his verbis compellat: "Ef þu fer med "Sveinbarn, þa lát þu Gautrek heita, oc drag "sva af Nafni mino, oc rekstri þeim, er ek hefi "hast til hybyla ydvarra." i. e. *Si masculum in utero gestas, Gautreki nomen illi imponito, idqve adeo ex meo nomine, & errore, qvo ad domos vestras actus sum, deducito.* Secundum, huic valde simile Finnbogi robusti vita Cap. 1. præbet. "Gestr spurdi Syrpo, "hvad Sveininn skylldi heita, hon qvedr mak-"ligt, & hann heti Urdarköttr, þar sem hann "var i Urdo fundinn." i. e. *Gestus, qvodnam nomen puero, qvem in agro expositum invenerat, imponendum videretur, Syrpam uxorem interrogat? ast illa Urdarköttrum aptissime vocari posse censuit, qvod in locis salebrosis inventus esset;* Eodem qvoqve modo puer expostititius, a Gormonis Daniæ Regis satellitibus inventus, qvod fasciæ in fronte nodo essent constrictæ, *Knuti* ɔ: Nodi nomen sorti-

tus

tus est, Olafs Saga Lib. I. p. 71. Qvæ nomina imponendi consvetudo in causa esse videtur cur pleraqve vetustissima nomina determinatum qvid suo sensu exprimant, (§. 1.)

§. 10. Nomina a rebus qvibuscunqve boni ominis, nec non a rebus qvibuscunqve Physicis & inanimatis.

Præter eas, qvas §§. 7. 8 & 9. allegavimus, nominum propriorum classes, ad *abstractas ideas*, & *inanimata*, multa pertinent, qvæ omnia seorsim explicare, distinctisqve paragraphis evolvere non sinit propositi angustia, unde qvæ eorum memoratu dignissima videbantur, præsenti §. mixtim exhibere constitui. In his *res qvæcunqve auditu pulchræ*, primo se loco sistunt, a qvibus nomina propria deducta esse mirum non est, cum, qvæ boni ominis esse putabantur, nominum, studiosissimos sese veteres semper ostenderint. Hinc qvemadmodum Lydos, ut famam opulentiæ jactarent, nomina, divitias insinuantia, suis imposuisse Reinesius testatur, (Var. Lect. p 37. 38.) ita & majores nostros a divitiis & potentia, nomina traxisse, tam *Gullrunæ* nomen arguit, qvam alia haud pauca cum voce *rîkr*, qvæ potentem v. divitem notat, composita, qvorum qvædam Peringskioldius collegit, (not. ad Hist. Theodorici pag. 239.)

qvamvis diſſimulandum non ſit, nonnullos, talium nominum bene multa, vel a voce *reckr*, qvæ virum animoſum Poetice ſignificat, vel a Verbo *eg rek* pello, proſeqvor, exſeqvor, haud repugnante lingvæ veteris genio, derivare. Sic ab *Adall*, indole generoſa, *Adalr kr*, *Adalſteinn*, *Adalvardr*, *Adalradr*, & a ia e us generis ad §. 8. commodius referenda. A *Biorg* auxi io, *Biorg*, q. auxiliatrix, ſimplex fœminæ nomen, it *Biorgulfr* &c. A *Dád* virtute *Dade* viri nomen, commode qvidem derivari poſſe videtur, aſt cum non admodum apud nos antiqvum ſit, ſunt qvibus id a veteri nomine Germanico, *Dedo*, deducere magis placet: A *Dagr* Dies ſimplex viri nomen *Dagr*, q. inſtar diei candidus, & compoſita *Dagſinnr*, *Dagbiartr*, *Dagbiört*, *Dagfinna*, *Dagrun*, qvorum nominum originem, an ad Eddæ fab 8. de Dago Dellingi filio, qvem Haralldi Pulchricomi majoribus fragm. Genealog. vetuſt Olafs Saga Lib. II. p. 331.) annumerat, referam nec ne, hæreo. A *Dyr* pretioſus *Dyr-finna*, *Dyrun*; A vita ſempiterna *Eilyfr*; ab *Ar* mane, & biartr lucidus, *Arbiartr*; qvin &, ut hoc, loco paulum alienori, moneam, nominibus ab Odino ductis, ſæpe adjectæ ſunt determinationes, vel ſingularem ejus favorem, vel rem qvamlibet auſpicatam & auditu pulchram denotantes Sunt tamen fateor, nonnulla inprimis Servorum nomina, horridum qvid ſonantia, qvorum qvæ-

dam,

dam, poſtqvam libertatem conſecuti fuere, ad illorum poſteros propagata, nominibus tam ſimplicibus qvam compoſitis, ut ſono, ita ſenſu deformibus dedere originem, qvibus hic recenſendis immorari operæ pretium non ducimus.

Ad res igitur *Phyſicas* noſtra ſe convertat oratio, a qvibus tam multa nomina propria manarunt, ut illorum Catalogum vix integrum volumen capiat. Rerum autem phyſicarum nomine nobis hic veniunt metalla, lapides tam vulgares, qvam pretioſi, montes, Promontoria, Elementa, imo meteora, & id genus alia qvæ nominibus propriis exiſtentiam dediſſe deprehenduntur; horum exempla prebent. *Jarn* ferrum, unde *Elldjarn*, *Jarngerdr*, qvo neſcio an referam *Isbrandi* & *Isgerdæ* nomina q. ab Isarn i. e. ferro, derivata. *Malmr* metallum, unde *malmbilldr*, *malmfridr*, &c. reſpectu forte habito vel ad metallorum præſtantiam & valórem intrinſecum, vel ad ornatum ex iis factum, vel ad rem deniqve militarem; Etenim 1) interno metallorum valore, hominum inde denominatorum præſtantia & virtus commode ſatis adumbrari poteſt. 2) Uti tam viris, qvod pecuniam acqvirant, aliisqve diſtribuant, qvam fœminis, qvod auro ornentur, ab ornatu auro & gemmis ductas appellationes imponere, Poeticæ regulæ permittunt, ita omni non caret veri ſpecie, veteres nominibus a me-

 tallis

tallis ductis, futurum rei familiaris splendorem, magnamqve, qvam eos in liberalitate posuisse constat, gloriam, significare voluisse; idqve inprimis nomina propria qvæ a divitiis & potentia hausta supra monui, corroborant. Accedit qvod bene multæ, qvas ars Veterum Poetica depromit, hominum appellationes poeticæ, instituta majorum nostrorum eatenus secutæ videantur, ut, a qvibus veteres nomina propria olim traxisse noverunt, ab iis etiam rebus appellationes hominum metricas Poetæ traxerint, easqve qvoad fieri potuit, regulas hominis describendi, Eddæ auctor præscripserit, qvas in nominibus propriis imponendis priscos observasse animadverterat. Res exemplis erit clarior: A Diis Asiaticis & Deabus tam majorum qvam minorum gentium, nomina propria desumta probavi (§. 3.): Ast Eddæ pars, qvæ artem Poeticam continet, ita: "Kenna scal mann "Odins heitom öllum oc öllom Asa heitom." i.e. *Omnia Odini & Divorum nomina viris (Poetice) tribui possunt.* Et mox: vel "Þyker "kent, ef til alfa er kent, oc Jötna, oc "Dverga." i. e. *Ab Alfis Gigantibus & Dvergis appellationes Poeticæ bene desumuntur.* Nec non de fœminis., "Kono er rett at kalla "öllom ásynia heitom, valkyrio heitom, oc Dysa "heitom, Norn.heitom &c." i. e. *Recte qvoqve mulieres appellantur omnium Dearum Asiaticarum, Valkyriarum* (Dearum belli) *Dy-*

sarum

Jarum & Nornarum (Deæ inferioris ordinis, inter qvas Parcæ sunt) *nominibus*. A feris & re militari utriusqve sexus nomina deduxi. (§. 6. 7.): Ita Edda non solum Viros, qvod rei militaris cura ad eos pertineat, ab armis & bellis denominandos putat, nec non a feris rapacibus, qvas cæsorum sangvine satiant, sed & fœminas ab omnibus bellorum appellationibus recte describi inculcat; nam Valkyriæ bellis præsunt, a qvarum nominibus mulierum nomina fluxisse supra probavi, unde facile patet illa, religioni gentilium maxime accepta referri. (§. 6. 7.) Nec plura addere lubet exempla, cum vi principii supra stabiliti, modo fabulas Eddicas nostras in partes vocare placuerit, de reliqvis nominum rationibus similia facile inferri qveant. 3. Dixi, majores nostros a metallis nomina ducentes, rem militarem forte spectavisse: huic assertioni vel solus metallorum in militia usus aliqvam conciliare auctoritatem videtur, unde non ipsum modo bellum a metallis denominatur, sed & omnia arma generali metalli nomine sæpius apud Poetas veniunt, ut in seqventi carmine, qvo prælium Hibernicum Niáls Saga ita describit

" Margr, þar er mættuz tiórgur,
" Málmr gnast, i dyn hiálma,

i. e.

Multa, cum clypei collidereniur,

Metalla (ɔ: arma) *ſtridebant*, *in ſonitu gale arum* (ɔ: prælio).

Nec pauciora ſunt, qvæ ad *lapidum* & *montium* appellationes referri nomina propria qveunt: Sic a *Steinn* lapis, Steinn ſimplex, & compoſita, *Steingrimr*, *Steinþor*, *Steinulfur*, *Gunnſtein*, *Steinun* &c. A *Gnupr*, prominentia montis *Gnupr* viri nomen; A *Tindr* Cacumen montis Tindr viri nomen; Huc & pertinet *Hallr* qvod ſive Gemmam, ſ lapidem duriorem, (q. ab *hardr* durus, ita ut pro *hardr*, *harlr* dixerint, & pro eo iterum *hallr*, qvomodo *harla* pro *hardliga*, & *gerla* pro *gerliga* dicunt) ſive clivum reddideris, ad hanc tamen claſſem pertinere videtur; hinc *Hallr* & *Halli* ſimplex viri, & *Halla* fœminæ nomina, ut & plurima compoſita, *Hallbiörn*, *Hallkell*, *Hallſteinn*, *Hallmundr*, *Hallbera*, *Halldys*, *Halldora*, &c.

Qvid horum nominum impoſitione veteres ſignificaverint, multis eſſe conjecturis locus poteſt. Nam ſive illorum rationes in generali terræ cultu, de qvo fuſe Rudbeckius Atl. Tom. II. c. 6. egit, ſive in ſpeciali montium, collium & lapidum cultu, in qvibus Deos tutelares habitare veteres crediderunt, qværamus, probabilitatis leges haud cenſendi ſumus violaſſe. Nec forte abſurditatis facile convincetur, qvi hominis e lapidibus orti fabulam, qvam Edda Mythol. 5. exhibet, hæc nomina reſpi-

respicere contenderit, nisi sensus physicus, qvi Hieroglyphicis hisce symbolis subest, e legitimis derivatus principiis, contrarium aperte monstret. Præterea, liberos Diis peculiariter sacratos fuisse, lapidum notatione facile innuere poterant; qvos in juramentis purgatoriis per ollam erventem peractis adhibitos, atqve adeo jurisjurandi religione, sacros fuisse Godrunar-qvida testatur, ubi Gudruna Giuci filia, conjugalis amoris, & consvetudinis; in alios non sparsæ, fidem, hoc juramenti purgatorii genere, Atlio se facturam promittit, his verbis:

" þer man ek allz þess
" Eida vinna,
" At hinom hvíta
" Helga Steini.

i. e.

De his omnibus Tibi
Juramentum præstabo,
Ad album illum
Sanctum lapidem.

qvale juramentum, per lebetem ferventem factum, seqventia ejusdem Odæ commonstrant

" Siau hundrod Manna
" I Sal gengo,
" Adr kven konongs
" I ketil tæki.

i. e.

i. e.

Septingenti homines
In conclave introierunt,
Anteqvam uxor Regis
Lebeti manum imponeret

qvæ contrectatio, five manuum in lebetem immiffio, paucis interjectis, ita defcribitur

"Brá hon til botz
"Biörtom lófa,
"Oc hon upp um tók
"Jarcna Steina.

i. e.

"*Immifit illa in fundum* (aheni)
"*Nitidam volam* (manum)
"*Et inde fufcepit*
"*Talarios lapillos;*

eosdem fcilicet, qvos antea facros vocaverat, de qvibus hic pluribus differere inftitutum non patitur. Hæc licet ita fint, nec fua deftituantur probabilitate, mihi tamen inprimis vero fimile videtur, veteres, nomina a rebus phyficis deducentes, illarum qvalitates & affectiones etiam fpectaviffe, atqve adeo nomina propria a montibus & lapidibus duxiffe, ut fignificarent, pofterorum fortitudinem, rerumqve geftarum laudem & claritatem, faxorum inftar, qvibus globum terraqveum fundamentis fuftineri antiqvitas credidit, fore immobilem; qvalem fimilitudinem

nem adhuc servat Eyvindi Skalldaspillis antiqvi Poetæ hemistichium:

" Enn ver gátom
" Stillis Lof
" Sem Steinabrú.

i. e.

Nos autem (carmine) *confirmavimus*
Regis laudem
Velut (qvo terra nititur) *pontem lapidum.*

Et Snorronis Sturlæi Carmen:

" Falli fyrr
" Folld i Æginn,
" Steini studd,
" Enn stillis Lof.

i. e.

Prius concidat
Terra in mare
Saxo subnixa
Qvam gloria Regis

qvo & respicit proverbium vetustum, de rebus admodum antiqvis dici solitum, " þat er elldra " enn Steinabru": i.e. *Hoc antiqvius est fulcris terræ lapideis*. Nec tamen me latet, aliam omnino appellationum, qvas a lapidibus ductas fœminis poetæ passim tribuunt, rationem, Skalldam allegare his Verbis: " Enn þvi er Kona " kend vid Steina, at þat var i forneskiunni

" Kven-

"Kvennabunadr er kalladr var Steina Sörvi" i.e. *Rátio autem cur ex lapidibus mulieres denominentur hæc est, in prisco seculo collaria gestabant, quæ Steina Sörvi vocabantur, ex lapidibus confecta;* cui testimonio si historicæ veritatis stateram ponere ausim, hisce nominibus priscos aliqvam ornatus & pompæ rationem habuisse exinde seqveretur, qvod veterum institutis haudqvaqvam videtur contrarium. De Elementis meteoris & similibus unde nomina deducta, ne patientia legentium abuti videar, prolixe non agam, sed in exemplum adducam; *Sæ* mare a qvo *Sæunn* nomen fœminæ, & *Sæmundr* viri nomen &c & *Snæ* v *Snio* nivem unde *Snæbiorn*, *Snær*, cujus nominis Regulum origines Norvegicæ recensent, ut & fœminina *Sniofridr*, *Sniolaug* &c. qvorum rationes operosis perseqvi conjecturis supersedeo, inprimis *cum*, viri in hisce studiis magni, judicio, *Veteres nominum nostrorum conditores, non semper rationem notationis habuerint, sed in iis condendis magna interdum libertate licentia & luxurie sint usi, idqve præcipue intenderint ut ea maxime multiplicarentur;* unde leviter tantum monere liceat, in his nominibus ad sensum translatum, non literalem, esse respiciendum, adeo ut *Snæbiorn* qvod vi vocis, ursum niveum notat, virum strenuum & formosum, vel instar nivis candidum significet; simile de similibus esto judicium.

§. II.

§. II. De Nominibus per accessionem adventitiam auctis; nec non generales aliqvot, de nominibus propriis observationes.

De nominibus propriis, stricte sic dictis, hactenus, qva instituti ratio & virium tenuitas ferebat, egi; verum sæpius evenit, ut hoc illove accedente casu, proprium nomen augmentum qvoddam præfixum acciperet, qvod in unum cum pristino, nomen temporis lapsu coaluit. Hæ nominum propriorum accessiones, a Prænominibus Romanorum differunt, tam qvod Prænomina voce distincta, integrum per se nomen constituente constarent, qvam qvod statim imponerentur, cum contra Accessiones Casus qvidam posterior attulerit. Nec minus a cognominibus differunt, qvæ diversa etiam voce constant, proprioqve nomini postponuntur; Unde meo judicio, pro accidentali potius nominum propriorum modificatione, qvam nova nominum specie, vel cognominibus, qvod doct. Arngrimo placuisse comperi, haberi qveunt. Accessiones istæ vel *solennes* erant vel *minus*: *Solennes* voco, qvas Principis, Parentis, vel alterius cujusdam auctoritas, addita solenni formula, ipso, qvi nominis accessionem accepit & aliis audientibus, honoris, ut plurimum, causa, & accedente in nominis perpetuo duraturi memoriam, dono, intulit: *Minus solennes* contra promiscuo vulgi sermoni originem debebant.

Uti

Uti utriusqve generis acceſſiones, diverſam agnovere rationem, ita & illarum duratio admodum differebat; Qvædam enim *perſonales* tantum fuere & uni homini propriæ, nec ad poſteros propagabantur; qvo pertinent qvæ rationibus ſingularibus, vel individuo cuidam propriis, nixæ, ad alios commode transferri non potuerunt, ut *Qveldulfi* & *Halogii* nomina (§. 8.), nec non *Skallagrimi* nomen ex Egils Saga, ex Nials Saga *Skarphedini* nomen, & ex Eyrbyggia *Vigaſtyr* & ſimilia, qvibus vel ſpecialis unius hominis indoles, vel corporis conſtitutio, augmentum attulit, ut & qvæ a loco nativitatis vel habitationis deſumebantur, ut *Hvammſturla*, *Tungo-Oddr*, *Sanda-Bárdr*. &c. Niſi forte iterata ratio ſpecialis, nominis etiam acceſſionem iterandam poſtulaverit. Aliæ contra nominum acceſſiones, qvas rationes magis generales introduxere, cum ipſis propriis nominibus ad poſteros translatæ, & eorum uſu revocatæ, multa nomina compoſita antea ignota invexere (§. 7. & 8.); Etenim plurima nomina propria vetuſtiſſimorum incolarum ſimplicia fuiſſe, tam Odini cjusqve comitum, qvam Gigantum nomina, qvæ maximam partem ſimplicia ſunt, ut & Origines Norvegicæ (Olafs Saga Lib. I. p. 214.) pauciſſima nomina compoſita, plurima verò ſimplicia exhibentes, arguere videntur: Horum qvibusdam, poſteros, qvod ſenſum minus fœcundum atqve adeo ſuperſtitioſæ

tiosæ eorum imaginationi haud sufficientem, continere viderentur, accessiones adventitias pro lubitu addidisse verisimile est; qvibus plurima illorum nominum compositorum existentiam debent, qvorum alterutrum membrum componens, integrum per se nomen constituisse deprehendimus; Reliqva nomina composita religioni Odinianæ, & qvæ illi nitebatur, superstitiosæ veterum affectationi adscribenda esse non dubitabit, qvi illorum naturam penitius cognoverit; qvam affectionem eo usqve progressam esse notum est, ut nominibus, per se satis sufficientibus & alias usitatis, Deorum nomina, nec non alia qvædam, vel præponerent vel postponerent; unde factum est, ut, qvemadmodum simplicia primitus magis in usu fuere, ita compositorum numerus postea longe prævaleret; qvorum tamen omnium, ut & plurimorum simplicium rationes, ad Religionem veterum bellicam manifeste redeunt, (§. 7. p. 49.) simodo paucissima simplicia exceperis, qvæ, vel antiqviori Dialecto, vel vocibus, nostræ lingvæ, jamdudum antiqvatis, originem debeant, incertæ sunt notationis. Sed ad accessiones nominum redeam, qvarum singula exempla, cum sua multitudine gravent, instar omnium nobis erit antiqvi fragmenti Olai Triggvini Vitæ (ed. Isl. L. II. p. 331.) subjuncti, testimonium. "Raumr Kongr geck i "Reckiu til Bergdysar, oc eptir þat gat hon "þriá Sono, Alfbiörn, Brand, oc Alf, hann "fostradi Bergfinnr, oc var kalladr Finnálfr,

"Biörn var med Modur sinni oc var kalladr "Jötun-Biörn &c." i. e. *Raumus Rex cum Bergdisa, Berg-finni filia concubuit, ex qvo concubitu tres filii, Alfbiornus, Brandus & Alfus suscepti; Alfum Bergfinnus avus maternus educavit, unde Finnalfus dictus, Biornus autem matrem secutus Jötunbiörn est appellatus* &c. Hic dimidium *Bergfinni*, avi materni nomen, Alfi nomini, accessionis instar adhæsit, & *Biornus*, qvod ex gigantum stirpe esset prognatus, *Jotunbiorni* nomen accepisse fertur; Unde qvis forte inferre posset, accessiones nominum, non tantum eventus qvoslibet accidentales, sed & familiam interdum spectavisse, atqve jam ad homines ejusdem gentis a se invicem distingvendos, jam ad homines diversis nominibus insignitos, eidem genti vindicandos, & familiarum auctoris memoriam servandam, adhibitas fuisse; qvam conjecturam haud parum stabilit Vegeiri exemplum (§. 4. p. 16. 17.) a nobis allatum, ubi paterni nominis accessio, nempe vocula *Ve*, omnium liberorum nominibus præfixa, communem generis auctorem arguere videtur; huc & referenda *Hrodgeiri*, patris, & *Hrodmundi*, filii, nomina, & alia multa, qvæ primi generis auctoris nomen, vel totum, vel ex parte, posterorum nominibus, accessionis, vel partis componentis loco, sæpe additum demonstrant; vide fragm. geneal. Vetust. in Olafs Saga p. 331. seq. Nec abludunt nomi-

nomina, qvæ Atlii comitis filiis Floa - Manna Saga cap. 1. tribuit, qvorum unus *Herſteinn*, ſecundus *Hallſteinn*, tertius *Holmſteinn* vocabatur, in qvibus diverſa hæcce præfixa, nomini proprio *Steinn*, omnibus communi, qvo facilius a ſe invicem dignoſcerentur, acceſſiſſe, vel ipſa lingvæ & narrationis analogia videtur exigere. Nec mirum eſt, qvasdam nominum acceſſiones familiam reſpexiſſe; cum & illam ipſa nomina propria ſæpius reſpicerent; nam præter ea, qvæ de majorum nominibus a poſteris aſſumtis (§. 5.) dixi, occurrunt, tam qvi nominis paterni partem nomini ſuo habent præfixam, vel alio modo adjunctam; qvam qvi binorum majorum integra geſſere nomina; priorum exemplum præbet *Valbrandus*, *Valtbioſi* filius, Orlygi Eſiubergenſis nepos (Lib. or. Isl. c. 13.) qvi particulam *Val*, patris nomini præfixam, ſuo etiam præfixam retinuit; qvæ ſi forte accesſionibus meliori jure videatur annumeranda, alia exempla idem adſtruentia non deeſſent, ſi eis cumulandis immorari operæ pretium duceremus. Poſteriorum indicia præbet *Palnatokii* nomen, ex Patris, qvi Palnir, & avi, qvi *Toki* dictus eſt, nomine conflatum (Olafs Saga Lib. 1. p. 140. 141.) Unde acceſſiones familiam interdum ſpectaviſſe dubitari qvidem neqvit, qvod tamen non hæreditario jure, ſed mero imponentium arbitrio, ſi res ita ferret, mutabili, factum eſſe, qvæ de cognominibus hæreditariis antiqvorum infra (cap. 2. §. 2.) attuli, abunde probant. Jus

 nomi-

nominis imponendi patri ordinario competebat, Vatnsdalensium historia teste, his Verbis: "Son átto þau annann, oc var hann borinn til "Fedur sins, oc skylldi hann ráda fyrir Nafni." i. e. *Alius iis natus est filius, qvem patri, ut ei nomen pro lubitu imponeret, attulerunt,* cum qvibus aliud ejusdem auctoris testimonium (§. 5.) a nobis adductum, consentit (alia exempla vide apud Sperl. de bapt. Eth. c. 14. 16.) Interdum tamen nominis imponendi optio cognatis permissa. "Nials Saga cap. 53. fám nóttum sidar " vard þorgerdr lettari at Griótaa, kona þraains, "fæddi hon Sveinbarn, sendi hon þa Mann til "Módur sinnar, bad hana kiósa hvert heita "skylldi, Glumr eda Höskulldr, hon bad "Höskulld heita. i. e. *Paucis postqvam Hosculdum e vivis migrasse acceperant diebus, Thorgerda Griotaensis, Thraini uxor, infantem filium enixa est, qvæ nuncio ad matrem suam misso, illi, Glumumne an Hoskuldum vocandum censeret, liberam optionem obtulit, ast illa Hoskuldum vocari petiit;* unde dubitandum non est ipsam etiam infantis matrem, hoc sibi jus multo magis vindicare potuisse. Præterea viros qvoslibet insignes, qvi parienti forte aderant, nomina infantibus imposuisse, inde patet, qvod tales ad infantes lustrali aqva perfundendos inprimis deligerentur (Sperl. de bapt. Ethn. p. 176.) ast nomina unacum baptismate infantes accepisse

pisse notius est qvam ut ulla h. l. probatione egeat. Plura qvi desiderat, adeat Cleffel. Ant. Germ. Cap. 2. §. 9. pag. 107. seqq.

§. 12. De Nominibus mulierum in specie.

Qvas supra adduximus nominum rationes, de nominibus mulierum etiam valent, qvocirca, ne molestis repetitionibus tædium legentibus crearem, nominum fœmineorum exempla ubiqve attuli, eaqve una cum masculinis in partes vocavi; hoc igitur loco tantum monuisse sufficiat, haud pauca mulierum nomina, illarum pulchritudinem & formam spectasse, alia, addita fœminina terminatione, a masculinis esse formata; ut a *þorer*, *þora;* a *Finnr*, *Finna*; ab *Arinbiorn*, *Arinbyrna;* ab *Arnor*, *Arnora;* a *Grimr*, *Grima;* ab *Halldor*, *Halldora;* ab *Hallr*, *Halla;* ab *Olafr*, *Olöf;* ab *Uni*, *Unnr;* a *Ragnar*, *Ragna*, cujus exemplum Islandia Anno 1711. vidit; & alia multa; qvæ nostræ de nominibus domesticis tractationi finem imponent.

§. 13. De Mutationibus nominum Odino posterioribus.

Postqvam nominum, qvæ Odinus intulit, naturam, rationes illorum investigando, leviter hucusqve perstrinxi, tempus jam esset ut

ad nomina peregrina tranſirem explicanda, verum hoc labore eo brevius defungar, partim cum allatas nominum rationes ſeqventium ſeculorum homines etiam obſervaverint, partim, cum qvæ noſtris ſunt propiora temporibus, majori ſint in luce poſita, qvam ut aliqvam a tenuitate mea ſperare illuſtrationem qveant; hinc qvæ de iis dicenda mihi videntur huc fere redeunt: Qvin poſt Odini adventum multa vicinarum gentium nomina in ſeptentrionem ſubinde irrepſerint, ſi modo qvæ veteres geſſere bella, qvæqve illis cum gentibus circumjectis, imo procul diſſitis, interceſſere commercia, ſpectaverimus, dubium nobis eſſe non poteſt; aſt, cum tunc temporis major lingvarum & inſtitutorum, qvibus circumjectæ gentes utebantur, cum veteri noſtra lingva & moribus eſſet convenientia, qvæ ipſis noſtris majoribus, qvæve exterorum commerciis nomina debeantur, poſt aliqvot ſecula internoſcere poſteris proclive haud fuit. Nec faciliorem multo nominum, ſi qvæ a gentibus longius diſſitis noſtri olim mutuati ſunt, cognitionem, poſteris effecit illa veterum conſvetudo, qva peregrinarum lingvarum nomina propria, qvo ea facilius eloqvi poſſent, vel in ſuam lingvam vertere, vel ad ejus genium inflectere, illis ſolenne fuit, (qvomodo ab *Eliſabethæ* nomine, *Elliſif* format chron. Norv.) qvo factum eſt, ut multa nomina peregrina, lingvæ noſtræ naturam cum tempore induerent, atqve adeo, ubi expreſſa introductionis veſtigia hiſtoriæ

hiſtoriæ non ſuppeditant, hodie plane non cognoſci poſſint, unde oleum & operam perditurus manifeſte intelligitur, qvi talibus nominibus operoſe colligendis bonas horas impendi pateretur. Nonnulla eqvidem, fateor, nomina ſuis gentibus propria, qvi Islandiam cum *Norvegis occuparunt*, *Angli Scoti & Orcadenſes intulere*, verum illa nec multa ſunt, nec omnia ab illorum poſteris aſſumta, unde multo minus nos iis prolixius immorabimur recenſendis.

Sed notabilior multo peregrinorum nominum in ſeptentrionem invectorum epocha, a religione Chriſtiana has in oras introducta peti poſſe videtur: Nam ut nomina, e. g. illud Svenottonis Knytlinga Saga Cap. 1., qvæ qvibusdam, cum ſacrum baptisma ſuſciperent, acceſſerunt, utpote pauciora, prætercam; exploratum ſatis eſt, uti Ethnici a religione & diis Ethnicis nominum rationes petiere, ita ſimili plane modo Chriſtianos veteres, & in his majores noſtros, non a religione ſolum Chriſtiana in genere, ipſoqve Chriſti nomine, propria nomina derivaſſe, eaqve vel ſola uſurpaſſe, vel cum aliis ſuæ lingvæ vocibus combinaſſe, (ut in nominibus *Chriſtian Chriſtbiörg*, *Chriſtrun Chriſtveig* &c. apparet) ſed & bene multa nomina Biblica, Patriarcharum, Regum, Martyrum & aliorum, qvi tam in Eccleſia Romana vel Græca, qvam extra Eccleſiam, præ cæteris

inclaruere, pio Zelo ductos subinde assumsisse, suisqve imposuisse liberis. Verum alia etiam ratione peregrinis nominibus introducendis Christiana Religio ansam dedisse deprehenditur: Etenim, cum religione literarum usus, cum literarum usu, ut historiarum, ita Græcæ & Romanæ eruditionis notitia sensim sensimqve increbuit, cum eruditione cultus, & tam scientiarum qvam artium Mechanicarum vel nova inventio vel reformatio, cœpit, cum cultu gentium commercia, & cum commerciis deniqve, ut lingvarum confusio primum, post interitus, ita nomina peregrina longe lateqve circumducta sunt; Ipsa in specie commercia, qvo diuturniora, eo etiam sunt majora facta & ampliora, atqve adeo non peregrinas tantum voces & nomina propria lingvis intulerunt, sed & antiqvis lingvis & nominibus tantam caliginem sæpius induxerunt, ut ea vel penitus abolerent. Hæcce omnia Septentrionalibus Regnis etiam convenire, singulorum inductione amplius, patebit: De Danis primo loco dicam; qvi, qvamvis nomina propria Odini institutis congrua etiam recepissent, eorum tamen, qvod exterorum commerciis magis essent expositi, non adeo tenaces fuerunt ac Sveci & Norvegi; sed cum peregrinis commerciis & colonis, Civitatum Danicarum jure donatis, tantam peregrinorum nominum messem subinde acceperunt, ut plerisqve vetustis nominibus perpetua sepultis oblivione, nova, temporum lapsu magis magisqve

qve aucta, fuccederent; qva in re nobis, ut brevitati ftudeamus, teftimoniorum inftar effe poteft *Onomat-Etymologicon*, qvo qvæ Danis tunc temporis in ufu fuere nomina propria, Alphabetico digefta ordine, (Nicol.) Helvaderus, ante 120, & qvod excurrit, annos, evulgavit; ubi nomina a Religione Chriftiana ducta, ut & Hebraica, f. Biblica, Græca, Romana, tam facra, qvam profana, & deniqve Germanicæ &c. originis nomina utramqve paginam faciunt, prifcorum contra feptentrionalium mentio occurrit rariffima, adeo ut de peregrinorum in Dania nominum ufu jure conqveri videatur Septimius de Lingva Cimbr. p. 99. ita fcribens: *Qvemadmodum Græci Græcis, Latini Latinis nominibus maxima ex parte utebantur, & Hebræi vetuftis fuis ad hunc usqve diem utuntur, ita & nos, nominibus, qvæ antiqva Cimbrica funt, uti oporteret; Verum multi ex præcipitantia, non peregrina folum, fed & maxime barbara, fibi, utrum bona, an mala fint, haud intellecta nomina liberis imponunt fuis.* Idqve eo magis, cum originum memoriam vetuftis illis nominibus confervari certum fit: ne jam de ineptis nominum propriorum vere Danicorum a Monachis factis in Lingvam Latinam translationibus, & a Sperlingio not. ad Teftam. Abfalonis p. 22. notatis, dicam, qvæ ad nominum peregrinorum ufum

aliqvid facile conferre potuere. Eadem, qvæ Daniam, Oram Norvegiæ maritimam & urbes, manſere fata, qvippe qvas, cum exterorum commerciis, peregrinorum nominum agmina etiam inundarunt; plura eqvidem vetuſta nomina mediterranei Norvegi ſervarunt; ſed illa ita interdum corrupta & inflexa, ut primam ſtatim originem non prodant, imo novis, qvæ Chriſtianismo & aliis cauſis debentur, nominibus, interpolata eſſe, vel ſolum *Nominum in Diœceſi Bergenſi rariorum ſpecimen*, qvod *Gloſſario ſuo Norvegico* Celeb. Pontoppidanus ſubjunxit, manifeſte evincit. Nec omnino diſſimile de Islandis ferri judicium poteſt, qvos, licet inter omnes ſeptentrionis populos, lingvæ juxta & nominum vetuſtorum tenaciſſimos dicere facile auſim, non tamen impedire potuerunt, qvominus etiam varia peregrina nomina ad eos transferrentur, qvæ utpote pauciora, veterum qvidem nominum uſum, qvi adhuc Islandis freqvens eſt, non aboleverunt, ſed veteribus admixta, certarum familiarum terminis hucusqve continentur. Qvod enim haud pauca vetuſta nomina & in his uſitatum olim Hareki nomen, jam exoleverint, id non tam peregrinis nominibus, qvam interitui familiarum ſucceſſivo, & aliis cauſis domeſticis, venit adſcribendum. Horum nominum peregrinorum alia antiqviora ſunt, alia recentiora. Antiqviora tam Chriſtianæ Religioni in genere, qvam Pontificiæ in ſpecie, ex

cujus principiis, ſanctorum Martyrum, Patrum, & qvorumvis in Eccleſia clarorum virorum nomina, auſpicata ſunt habita, debentur; Recentiora, tam exteris, qvi, vel in Islandia officiis admoti, vel incolis, connubiorum ope, ſociati, ſedes ibi fixerunt, qvam gentibus, qvæ ab ineunte ſeculo 15. in Islandia negotiatæ ſunt, inprimis Danis & Germanis, accepta refero. Sic *Erasmi* nomen origine Græcum, ad nos Sacerdos qvidam in Auſtrali Islandia, natione Germanus, attulit. *Botulfi* nomen etiam Origine Germanicum eſt, licet ex noſtra qvoqve lingva explicari qveat, cum Botulphus Norvegus Ao. 1299 Cathedram Holenſem adiret, ad nos introductum. *Botildæ* nomen hodie non infreqvens, ad ſeculum usqve 13. in Islandorum monumentis non extat, ſed Germanis antea in uſu fuiſſe Knytlinga Saga c. 59. teſtatur; Imo & Danis, ſeculo jam 12mo. notum fuiſſe fidem facit Petrus, a matre Bodilda cognominatus Sax. Lib. 13. p. 240. *Eggerti* v. Eckhardi nomen, etiam Germanicum, Præfectus Islandiæ e Vica Norvegiæ prognatus, Ao. 1524. intuliſſe videtur; *Gosvini* autem nomen (*Gottſveinn*), Gosvinus, 1435. Skalholtenſis Epiſcopus. Taceo nomina alia tam ſacra qvam profana, qvæ ob affectationem vel oſtentationem nonnulli liberis impoſuere, ut *Adam*, *Ebenezer*, *Obed*, *Ruth*, *Gloriant*, ex fabula Olgeri Dani hauſtum, & multa alia peregrina, qvæ Catalogus nominum Eyulfianus magno numero

mero recenſet. Coronidis loco moneo, apud hiſtoricos noſtros, qvi res, Chriſtianismo ad nos translato longe antiqviores, deſcribunt, nonnulla, qvæ Chriſtianam religionem manifeſte ſapiunt, nomina occurrere, ut in Bordar Hredu Saga *Johannis* nomen; ſed illa, aut Anglorum, qvi tunc temporis Chriſtianam religionem ſuſceperant, & qvorum nonnulli, etiam Chriſtiani, Islandiæ occupatoribus accenſentur, commerciis, vel aliæ Chriſtianismi famæ debent originem, aut auctores hiſtoriarum, ipſi Chriſtiani, talia ex ſuo ſenſu interſperſere, niſi qvis forte ea, ex noſtræ lingvæ vocibus formata, fortuita convenientia Chriſtianorum nominum ſimilitudinem referre, qvis dixerit, de qvo ego non magnopere litigabo.

§. 14. Nomina veterum ſeptentrionalium, ad exteros translata.

Qvemadmodum exteros, in ſeptentrionem migrantes, vel cum ſeptentrionalibus commercia exercentes, ſua ſimul nomina intuliſſe & cum noſtris commiſcuiſſe ſupra probavi; ita eodem jure concludi poteſt, veteres Septentrionales, ad exteros migrantes, ſibiqve in aliis terris ſedes perpetuas figentes, ſua qvoqve nomina ad alios propagaſſe populos.

pulos. Inprimis, decantatiſſimas Cimbrorum, Gothorum, Anglorum, Normannorum & Longobardorum, qvi maximam Europæ partem inundarunt, expeditiones, multa veterum ſeptentrionalium nomina, in Germaniam utramqve, Pannoniam, Hiſpaniam, Britanniam, Galliam & Italiam invexiſſe dubium eſſe nullum poteſt. Etenim Cimbrici exercitus reliqviæ inter Moſam & Scaldim tandem conſederunt; Gothi in Thracia primum, poſt in Hiſpania & Italia ſedes ſibi conſtituere; Angli Brittanniam occuparunt, novumqve de ſuo nomen dederunt; Normanni poſtqvam Galliam, non una vice infandis cladibus vexaverant, Neuſtriam obtinuerunt; Longobardi vero regnum, qvod usqve ad Caroli Magni tempora duravit, in ipſa Italia erexerunt; (vide Perilluſtr. Holbergii Prolegom. Hiſt. Dan. Tom. I.) Qvas in terras lingvam & nomina vetuſta Danica, pro migrationum diuturnitate, & bellorum, qvæ geſſere varietate, magis, minusve corrupta, eos intuliſſe, non tantum talium migrationum natura, ſed &, qvam lingvæ latinæ Gothi & Longobardi induxere, caligo, extra omnem ponit dubitationem; qvin & horum nominum veſtigia ſervant, non ſolum varii medii ævi ſcriptores, eorundem emigrantium bella deſcribentes, ſed & varii nominum propriorum Catalogi, qvos Grotius (indic. ad. Hiſt. Vandal & Gotth. p. 583.) Skardius (Scriptor. Rer. Germ. Tom. I. p. 816.) & Goldaſtus (Script. Rer. Alam. Tom. II. P. I. p. 95.) exhi-

exhibent, ut & alii Onomaſticorum ſcriptores, nominumqve pro priorum explanatores, Belgre juxta & Angli, a Celeb. Hi keſio Diſſertat Epiſt. p. 157. nominati, in qvibus plurima, Danicæ originis, nomina propria occurrere, qvilibet lingvæ veteris peritus, vel primo intuitu videt, qvo etiam inductus P. Septimius, *multa, qvæ in Francicis & Latinis ſcriptoribus extant, nomina propria, Lingvæ veteris Danicæ beneficio, explicari poſſe*, recte judicat. (de Ling. Cimbr. p. 101.) Horum attamen nominum nonnulla, tantam apud exteros mutationem ſubiere, ut illorum origo Danica facile ſe non prodat, qvod vel exteris, qvi nomina Danica, ipſis ſono duriora viſa, ad ſuarum lingvarum indolem, Erico Olai Hiſt Svec. Lib. I. conqverente, inflectebant, vel ipſis Danis, imputandum, qvibus, ex diuturniori variarum gentium, aliis lingvis utentium, commercio, lingva patria paulatim in deſvetudinem abiit. Eqvidem inter omnia exterorum nomina, Germanica antiqva cum vetuſtis Danicis maxime convenire mihi videntur; unde tamen, priſca Danica, Germanicæ eſſe originis, cum rei veritate inferri neqvit, ſed illius convenientiæ ratio multo ſolidior, ex veteri Lingva Celtica peti poteſt, qvæ Danicæ & Germanicæ, Sperlingio judice, (de feſto Juel. pag. 14.) communis mater eſt, unde potius ſeqvitur Danicam & Germanicam, lingvas eſſe, ratione originis cognatas & ſoro-

rias,

rias, qvam Danicam Germanicæ esse Dialectum, licet hoc magno Morhofio (de Ling. Germ. Cap. I. p. 6.) placuerit. Hanc Danicorum & Germanicorum nominum similitudinem Odini migratio haud parum promovit, qvem ut Danicam, ita Germanicam lingvam mutasse, Islandorum testantur Antiqvitates.

SYNOPSIS, CAP. II.

§. 1. Nonnullis cognominibus superstitio Ethnicorum præbuit occasionem; primam tamen illis originem, scommata vel dicteria faceta dedisse videntur; illorum Antiqvitas Odini ætatem æqvat, imo superat; suntqve duplicia, vulgaria, & solennia.

§. 2. Cognomina olim instabilia, non hæreditaria fuisse, partim auctorum veterum testimoniis partim ex ipsa cognominum natura probatur; exempla contraria expenduntur; Qvid nomina veterum gentilitia pro cognominibus hæreditariis faciant, explicatur; Cognominum adventitiorum, qvæ initio nulla fuere, progressus, usqve ad tempora Frid. I, qvi illorum loco hæreditaria introduxit.

§. 3. Patris nomen olim cognominis loco adhibitum, nec non matris nomen, ejusqve specialis ratio.

§. 4.

§. 4. Cognomina derivata, ab externa corporis forma, venuſtate, vitiis, tam connatis, qvam acqviſitis, & deniqve ab ingenio & moribus.

§. 5. Cognomina ducta, a factis heröicis, & memorabilibus vel in genere, vel in ſpecie, ab armis & veſtitu, a ſtudio & Vitæ genere, a loco manſionis, habitationis, vel nativitatis, tandem ab adjuncto qvovis ſive honeſto, ſive turpi.

CAP. II.

De Cognominibus Veterum Septentrionalium.

§. I. De Cognominum origine antiqvitate & ſpeciebus.

Non una Cognominum cogitari origo poteſt: Nonnulla Ethnicorum ſuperſtitio ſvaſiſſe videtur; nam uti urbes, plura nomina, qvorum unum in vulgus notum haud fuit, habentes, ab hoſtibus devoveri non poſſe, veteres Romani crediderunt, obſervante Celeb. Ancherſen: (Ant Rom, p. 3), ita Priſci ſeptentrionales, homines, ſi duobus inſigniti eſſent nominibus, feliciores, & longæviores fore, & per

per Deos devoveri non posse putaverunt, Hauksbok, apud Reenhielmium, testante his Verbis: "Menn höfdo miök sva þá tvau Nöfn, "þotti þat likast til láng ífis oc heilla; oc þott "nockrir formællti þeim vid Gudinn, þa mundi "þa eigi skada, er þeir atto eitt annat Nafn." i.e. *Multi eorum seculorum homines duobus nominibus gaudebant, qvod ad longam vitam, & bonam fortunam, maxime conducere videbatur, & si qvis eos per Deos devoveret, vel iis mala imprecaretur, haud nociturum putarunt, si aliud qvoddam nomen haberent;* Consentit Edda Sæmundi, nominis a Sigurdo non editi hanc adducens rationem "Sigrdr "duldi Nafns sins, fyrir þvi at þat var trúa í "fornescio, at ord feigs manns mætti mikit, ef "hann bölvadi O-vin sinom med Nafni. i. e. *Sigurdus nomen suum celavit; Nam antiqvitus vulgata erat superstitio, morituri Verba plurimum valere, si inimicum nominatim diris devoveret;* qvalium opinionum haud inscius Thorsteni Albi Vitæ Auctor, in hunc sensum scribit: "Enn þat þotti þa Mönnum miklu vænligra, at hafa tvau Nöfn, var "þat atrunadr Manna, at þeir Menn mundi "lengr lifa, sem tvau Nöfn hefdi. i. e. *Etenim optatius multo putabatur, bina nomina habere, qvippe ea veterum superstitio fuit, homines duobus nominibus insignitos, longius*

 victu-

victuros: qvæ licet de nominibus compofitis etiam intelligi poffe qvis objiciat, major tamen ratio fubeft, cur ad cognomina referamus, inprimis cum veteres, nominum compofitorum partes, appellando non feparárent, unde integrum nomen compofitum, utpote qvotidiano ufu fatis tritum, devovens ignorare non potuit; cognomina vero facile a multis ignorari potuiffe, tam qvod a nomine proprio diftinctam appellationem exhiberent, qvam qvod natura fua fluxa effent & vaga, innuere videtur. Nec qvis nobis objiciat, qvæ adduximus teftimonia, ipfis cognominibus longe recentiora effe, atqve adeo veram illorum originem continere non poffe: Sint recentiora, fateor; aft vetuftæ fatis fuperftitionis memoriam illa fervare nemo fanus negaverit, ex qva, non ex illis, qvam adduximus, cognominum originis, antiqvitas æftimanda. Cætera fuperftitionem, ut nomina, ita & cognomina multa intuliffe, feqventi modo vero mihi fimile videtur: Tam Odino ipfi, qvam multis illius fociis, plura, a rebus eorum geftis ducta nomina antiqvitas impofuit; (cap. I. §. 4.) jam prifci boreales qvæ de Odino audivere ftudiofe funt imitati; qvid igitur vetat, qvominus divinorum nominum multitudinem refpicientes, cognomina fibi a rebus geftis, vel id genus aliis, tribui fint paffi?

Cæterum, etiamfi multa cognomina fuperftitioni tribuamus, ne qvis tamen putet nos

nos hanc cognominum originem antiqvissimam statuere; sed; ut natura arte prior, ita qvæ a rationibus naturalibus deducuntur rerum origines, reliqvas, qvæ institutis arbitrariis nituntur, ætate multum antecellere sunt censendæ; qvo nixus principio rationes ita subduco meas: Homines, qvos vel vitia naturæ aut morum, vel eximia indoles aut virtus, a communi cæterorum hominum sejunxere conditione, vel qvibus aliud qvodvis, auditu rarum, accidit, non potuere non aliis, vel contemtui esse vel admirationi, atqve adeo illorum circumferri sermonibus, qvi, ut sua de iis judicia testarentur, eorumqve servarent famam, epitheta varia, pro ut res laudi aut culpæ propior videbatur, honorifica, contumeliosa, imo ludicra, illis imposuere: Hisce epithetis, postqvam in vulgus emanarunt, nominibus eorum, si qvando absentium mentio injiciebatur, vel gloriæ, vel dedecoris, vel deniqve distingvendi gratia adjectis, crebra repetendi consvetudo, cognominum naturam dedit; qvæ postea, accedente superstitione, solenni impositione, & aucta appellandi licentia, mirum in modum sunt multiplicata: Hinc cognomenta illa adventitia, qvæ Islandi Auknefni, Dani vero moderni, *ögenavne* vocant, primam dedisse cognominibus vetustis originem veri specie non caret; nec obstat, qvod nonnulla cognomina veterum, pulchra satis sint & decora, cum contra vox *auknefni* vel *ögenavn*, sinistri qvid innuere videatur: fictio enim na-

turam imitatur, ideoqve, ut occafio cognomentorum honefta fuit vel turpis, ita ipfa cognomina inde nata, vel honefta funt facta vel turpia; præterea *auknefni* vel *auknafn* in malam partem femper non fumitur, fed nomen qvodcunqve, ex accidenti advectum interdum fignificat: Verum multo magis noftram fententiam corroborant, tam prifcorum cognominum natura in genere, pluribus infra (§. 2.) defcribenda, qvam in fpecie cognomina contumeliofa, in veterum monumentis paffim obvia, qvalia licet *cafu, non injuria*, extitiffe Macrobius Saturnal Lib. 1. cap. 6. putaverit, haud tamen pauca eorum; manifefta ludibriorum plebejorum præbent indicia; exempli caufa, illud Thorolfi Lufafkeggii o: pediculofæ barbæ, & alia, qvæ dictu tam fœda funt, ut finem potius meæ, de cognominum origine, fententiæ, ulterius, horum cognominum ope, illuftrandæ faciam, qvam eis recenfendis honeftas aures & oculos offendam:

Igitur de cognominum apud nos antiqvitate pauca monebo, qvæ ipfam fere monumentorum noftrorum antiqvitatem æqvare videtur; Nam præter Afiaticos, Odini focios, fuis infignitos cognominibus, e. g. *Balderum, Bonum* (Edd. fab. 43.) & cæteros, omnium, ab Odino inde, Seculorum hiftoriæ, homines cognominatos paffim proferunt, qvorum bene multos ex Edda, Saxone, Snorronis Sturlonidæ Hifto-

Hiſtoria Norvegica, ut & Arngrimi Ionæ Specimine Islandico & Crymogæa, Celeb. Hickeſius Diſſ. Epiſt. pag. 26. collegit. Idem & Regum Daniæ & Norvegiæ exemplo patet, qvorum cognomina, præter alios, Nicolaus Joh. Windingius peculiari tractatu, hactenus, qvod eqvidem ſciam, Mssto, qvem *Reges Daniæ & Norvegiæ Cognominatos* inſcripſit, ſibi ſumſit illuſtranda. Qvidqvod nonnulla, ut Haraldi Gullmunni (i. e. Chryſoſtomi), Starchatheri Aludrengi, & ſimilia occurrunt cognomina, qvæ Odino & Aſiaticis cöæva, imo antiqviora videntur, qvæ, ſi firma Auctoribus vetuſtis fides, cognominum, in Septentrione uſitatorum, ætatem, ſupra Odinum facile eveherent; aſt tanta in illorum ſeculorum Monumentis temporum & generationum regnat confuſio, ut nil certi conſtitui, atqve adeo multo minus qvid inde inferri certum qveat; (Torf. Hiſt. Norv. Tom. I. p. 152. 154.) Hinc, ut cognomina Odino antiqviora eſſe, monumentis deficientibus, certo monſtrari non poteſt, ita nec, qvando cœperint, demonſtratu proclive eſt, interim tamen qvam ſupra eis aſſignavi, origo, ea Odino qvidem antiqviora, verum ejus inſtitutorum intuitu aucta & multiplicata fuiſſe poſtulat.

Sed ad ſpecies cognominum accedo: Cum Prænominibus Romanorum, nomina noſtra, cum Agnominibus Cognomina cöincidunt, qvæ in univerſum duplicia ſunt, *vulgaria*

 nempe

nempe & *solennia:* vulgaria voco, qvæ promiscuus plebis sermo tribuit, qvalia plurima sunt: Solennia contra, qvæ vel honoris causa, vel in facti insoliti memoriam, Princeps aliusve, addita solenni formula dedit; Qvi tale cognomen alteri imposuit, donum qvoddam, perpetuum qvasi nominis retinendi symbolum, addere tenebatur, teste Hrolfi Krakii Vita: "Enn þat er hitt at giöf skal fylgia "Nafnfesti." i. e. *Hoc autem aliud est, nempe, qvod ad nominis vel cognominis nuper impositi confirmationem, Donarium seqvi debeat.* Talia Donaria navibus, armis, vel etiam rebus qvibuscunqve pretiosis constare solebant. Sic Thorleifus Islandus, a Svenone Danorum Rege, ob famosum carmen de Haqvino Norvegiæ Comite compositum, *Jarla-Skalld* (i. e. Comitum Poeta) cognominatus, navim instructam, optimisqve onustam mercibus, accepit dono (Olafs S. Lib. I. p. 207.) Thorstenus, ob *Skelki* cognomen gladium (L. II. p. 210.) Thorstenus alter, cum *Tauripedis* cognomine Annulum (L. II. p. 35.) & alia alii. Talia dona, eos etiam, qvi nomen proprium infanti imposuere vel mutavere, olim obtulisse, Finnbogi Norvegi, (Cap. I. §. 6. p. 34.) Haraldi Aureæ barbæ (Sperl. de Bapt. Ethn. p. 162. seq.) & aliorum exempla docent, qvibus *Volsunga Saga* apud Salanum (Not. in Hist. Eigilli p. 115.) adstipulatur, Sigmundum, e castris reducem, Filio,

Filio, cum Helgii nomine donum dedisse tradens, unde consvetudinam hancce antiqvissimam esse, dubitari neqvit. De ejus autem origine, altum, qvod sciam, in Antiqvitatibus nostris, est Silentium. Benedictionem & promissiones, qvas mutatis Abrami & Jacobi nominibus Deum addidisse, Sacer Codex testatur, huc ego non traham, cum benedictio & promissiones qvavis occasione data, alias sint freqventissimæ: Sed nonnulla veterum auctorum testimonia, & in his, illud Eddæ Sæmundi, supra (p. 54.) allatum, consideranti, in mentem facile venire possit, fuisse qvondam tempus, qvo baptismus vel lustratio solennis infantum, apud priscos Septentrionales, aut omnino insolita fuit, aut certe rarissima; Attamen congregatos, cum nomina infantibus imponerentur, apud infantis parentes, ex gentis consvetudine, amicos & cognatos, dona natalitia obtulisse, vel illud, svadere videtur, qvod vix ulla unqvam Solennitas, donariis olim caruerit: Hinc, qvæ, die qvo infans nomen accepit, domesticos & amicos dona olim misisse, Hesychius apud Cleffelium (Antiqvit. Germ. p. 113.) refert, muneribus, *Nafnfeste* vocatis, qvæ imponens nomini postea addere solebat, primam dedisse originem videntur. A nominibus ad cognomina munusculi offerendi consvetudo transiit, idqve hoc fere modo: Plurima cognomina dicteria Jocosa & Scommata intulisse supra probavi, hæc si forte cognominatus

in sui ludibrium & contumeliam traxit, qvi cognomen dederat, cognomenti impositionem donario addito ratam habuit, partim ut se cognominato monstraret amicum, (etenim mutuis olim donis amicitiam testari solebant) partim ut eodem, qvo nomina propria, donariis etiam celebrata, intuitu, cognomen se imposuisse significaret, partim deniqve, ut cognominato, si se forte, vocabuli ridiculi additamento, læsum putaverat, faceret satis, qvomodo olim homicidæ, rem qvandam pretiosam, mulctæ ordinariæ, ut cognatis occisi plene satisfieret, addere tenebantur; (vid. Joh. Gram. Specim. Gloss. Angl. Dan. Act. Soc. Havn. Tom. 5. voce Giörsom p. 158.) hanc si talium donorum statuamus originem, vis & emphasis haud exigua Saxonis verbis, alias elegantibus, accedit, qvi, de Erici Diserti cognomine agens, *vocabuli largitionem, muneris additione commendandam dicit* (p. 71.) Nec exiguum nostræ sententiæ robur, illa antiqvitatum loca addunt, in qvibus cognomina, horridum qvid, vel jocosum sonantia, se dedecori haud habituros, sed libenter recepturos, imo, magno sibi honori ducturos, ipsi cognominati, expressa interdum verborum formula dedere testatum. Ita introducta donaria, honoris gratia, cognominibus solenniter impositis postea accessisse videntur, qvæ sententia, si harum rerum peritis minus probetur, vero propiora tradentibus, lubens accedo.

§. 2

§. 2. De indole & progressu cognominum in genere apud Boreales.

De cognominum, qvæ antiqvis, inprimis septentrionalibus, in usu fuere; natura & indole, par virorum eruditorum Ol. Wormius & Henricus Spelmannus dissentiunt, qvorum hic in Epistola, ad Wormium, occasione monumenti Tulshöi, perscripta, Monum. Dan. L. III. p. 159. & Worm. Epist. pag. 424. Putat, *populos omnes Boreales, Hebræorum Græcorumqve more, simplici usos appellatione, & si qvi in historiis reperiuntur bino compellati nomine, neutrum gentile fuisse, sed ex contingenti aliqvo adventitio, & per probrum sæpe;* Unde tandem concludit, *Anglo-Saxones* s. *Anglo-Danos, ante introitum Normannorum, gentili non usos esse appellatione.* Ille autem, Wormius scilicet, Monum. p. 163., Epist. p. 428. *De Danis Norvegis & Svecis contrarium* (nempe eos, tam cognominibus, qvam gentili usos esse appellatione) *evincere, ait, tum historias fide dignas, tum nobilium genealogias, & alia apud nos extantia Documenta;* qvod ulterius probaturus, non varia solum familiarum vetustarum nomina, Amalos, Baltheos, Adelingos, Skioldungos &c., sed & multos septentrionis Reges & proceres Antiqvos, cognominibus usos, p. 164. in medium

 pro-

producit, ex qvibus deniqve p. 165. ita infert. *Qvia vero hæc de cognominibus disceptatio, varias parere posset difficultates, submoneo cognomina in familiis qvibusdam Danicis, a summa fuisse antiqvitate, sed qvibusdam seculis in nonnullis interrupta, a posteris tandem revocata:* De qva virorum eruditissimorum controversia, si tenue meum judicium subjungere liceat, hoc erit Non Spelmannus tantum sed & omnes id Celeb. Wormio dare debent, qvod & Hickesius Diss. Epist. recte concedit, & nos (§. 1.) probavimus, cognomina apud Danos, & reliqvos septentrionales, a summa fuisse antiqvitate, atqve adeo veteres simplici non semper appellatione esse usos. Qvæ autem de cognominum indole illis intercedit disceptatio, longe aliter se habet; Spelmannus hæreditaria fuisse merito negat, nam de talibus ei sermonem esse contextus innuit: Wormius autem id aliqva ex parte affirmare videtur, alias enim Spelmanno contrarius non esset; qvo autem jure id fieri qveat ipsa cognominum priscorum indoles ad oculum monstrat, qvam accuratissime Schefferus Upsl. Ant. p. 397. his Verbis delineat: *Alfus hoc cognomentum non aliunde qvam ex moribus accepisse videtur. Sic enim in usu fuit apud veteres, adeo ut ipsis qvoqve Regibus pro ratione morum rerumve gestarum attribue-*

bue-

buerentur. Ita alius est Vidfarne, alius Sejersel, alius Illrade, alius Kolabrennare, alius Ladulas, & sic deinceps, uti ex historiis est notum. Et qvoniam ex singularibus cujusqve moribus fingebantur, hinc & propria cujusqve erant apud veteres, nec ad posteros transferri consveverant. Nam, & illi ipsi posteri, si qvid ejusmodi notabile occurreret in ipsis, aliis & peculiaribus cognomentis notabantur. Ut videmus cum ex aliis, tum ex filio Ingialdi Olao, qvem vocarunt Tretelje, cum parentis cognomen tum esset Illrade. Qvare cognomenta qvidem aliqva veteribus fuere in usu. At ill. propria certarum familiarum, qvod hin video colligere nonnullos, temporibus anti qvis minime erant nota; temporibus antiqvi dico: nam recentioribus scio aliter factum illaqve ipsa cognomina unius & alterius præsertim honorificentiora, in familiis servata: non aliter ac nomina parentum aliqvando, qvæ proprie cognomenta non sun. Unde hodieqve Janssonii, & Latina ration. Dieterici, Jacobi, Matthiæ, Gerhardi, & id genus, integris familiis usurpantur.
Vagam priscorum cognominum naturam fuisse, tam illorum Origo (§. 1.) exigit, qvam id manifeste

nifeste monstrat, qvod sæpe, ne totam qvidem unius hominis vitam durarent, sed circumstantiis temporis & moribus mutatis, mutarentur, & nova plane imponerentur, imo plura, pro lubitu promiscue uni tribuerentur. Ex multis veterum locis ut hoc probem pauca seligam, qvorum primum Olafs Saga Lib. I. pag. 71. ministrat his Verbis: " Knutr-rædr ei lengi fyrir " Landi, ádr hann á Son, þann er Gormr het, " hann var heitinn eptir Gormi hinom barnlausa, " þessi Knutr var ymist kalladr þræla - Knutr " edr Knutr hinn fundni; þvi var hann þræla-" Knutr kalladr, at hann gaf frelsi hverotveg-" gio þrælom þeim, er hann höfdo fölgit oc " fundit, oc Jarldoma; epter hann var til Kongs " tekinn Gormr Son hans, hann var kalladr i " æsko sinni Gormr hinn hæimski, enn er alldr " færdiz yfir hann, var hann kalladr Gormr " hinn riki." i. e. *Knutus regno diu non præfuerat, anteqvam filium, cui Gormonis, qvi sine liberis decesserat, nomen datum, suscepit; Knutus iste interdum Knutus servorum, interdum Knutus Inventus cognominatus est; Knutus servorum vocatus est, qvod utrisqve servis, tam qvi expositum occultaverant, qvam qvi invenerant, libertatem & Comitatus donaret; Post illum Gormo filius imperium obtinuit, qvi in juventute Stulti, ast ubi ætate magis maturuit, Potentis cognomen*

acce-

accepit. Melius adhuc veterum cognominum inconſtantiam, ex nominum acceſſione auctorum mutatione facile inferendam, exprimunt Steingerdæ, a marito Berſo, propter acceptum in certamine ſingulari vulnus, divortium facientis dicteria, Kormaks Saga Cap. 9. "Fyrſt "vartu kalladr Eyglu-Berſi, (Eygluggr) þa "Holmgaungo-Berſi, enn nu matio at ſonno "heita Raza-Berſi." i. e. *Primum Eyglu-Berſi ſ. Eygluggr, poſt Holmgaungo Berſi* (ɔ: Berſo monomachus), *vocatus es, jam vero Raza-Berſi* (Berſo Clunium) *jure es vocandus*; idqve non aliam ob cauſam, qvam qvod vulnus a tergo acceperat, qvod veteribus maxime ignominioſum eſt viſum Barth. Ant. p. 36. ſeq. Nec abludit Einari exemplum, qvi prius "Skialldmeyar-Einar." i. e. Einarus Amazonius, dictus, ob lances, Haqvini Comitis liberalite acceptas, Skalaglamm, i. e: Lancium ſtrepitus, poſtea cognominatus eſt, Olafs Saga Lib. I. pag. 178-179. Barthol. Ant. p. 470, unde, cognomen poſtea accedens, acceſſioni, ſi qvæ prius nomini adfuit, derogaſſe intelligitur. Magis eqvidem fateor conſtantia fuere cognomina ſolenniter impoſita, qvippe ab una parte imponentis auctoritate, ab altera conſenſu cognominati, per donarii, cognomini additi, acceptationem, ſolenniter declarato nixa, at ne qvidem illa hæreditario jure ad poſteros deſcendiſſe, ſed uni ut plurimum homini propria manſiſſe, multorum inductione facile

mon-

monſtrari poſſet; honoratiora tamen putabantur, atqve adeo, ubi qvis tale cognomen ſolenne acceperat, alia, ſi qvam antea geſſit, nominis acceſſione, vel cognomine ſtatim appellari deſiit. Cæterum dum cognomina antiqvitus hæreditaria fuiſſe negatum imus, vereor ne nobis Celeb. Torfæi objiciatur auctoritas, apud qvem me alicubi legiſſe memini, *infantem ſæpe, cujus nomen retulit, etiam cognomen participaſſe*; qvo forſan Hallfredi, *Hallfredi filii* exemplum reſpexit, cui cognomen paternum *Vandrædaſkald*, vulgus tribuiſſe memorat Appendix Hiſt. Ol. Triggv. p. 22. "Hann (Hallfredr) var kalladr Vandrædaſkálld "ſem Fader hanns." i. e. *Hallfredus, patris exemplo Vandrædaſkalld* (i. e. periculoſus Poëta) *etiam cognominatus eſt*. Aſt id, non hæreditario jure, ſed caſu, ſimilem cognominis rationem forte reducente, eveniſſe, ſtatim patebit, ſi cognomina, ad alios olim devoluta, diligentius examinemus. Sic *Keſiæ* cognomen, ab Haraldo Thoreri filio, qvem Thorſteins Saga Cap. 16. nominat, hæreditario jure accipere non potuit, nulla ei ſangvinis neceſſitate conjunctus, & multis ſeculis poſterior, Haraldus, Erici Daniæ Regis filius, etiam *Keſia* cognominatus, Knytlinga Sagæ c. 78.; ſimile de ſimilibus eſto judicium. Nonnulli qvidem iisdem, qvibus unus vel alter majorum uſus eſt, cognominibus inſigniti deprehenduntur, alii contra, majorum nominibus cognominum loco

ute-

utebantur; qvomodo Ketillus, Raumi Regis, atavi sui nomen, cognominis loco habuit; (Olafs Saga Lib. II. p. 331.) Verum suspicio est, majorum nomina vel cognomina, personæ cognominandæ qvalitatem qvandam vel circumstantiam fortuito significantia, cognominis instar vulgi arbitrio esse addita. Qvædam horum cognominum, ad imitationem tantum veterum, posteris imposita esse possunt, qvod seqviori ævo tritissimum fuisse novimus omnes. Deniqve, si vel maxime occurrat, ut revera occurrit, unum aut alterum, cognominis, a proximo cognato assumti, exemplum, id ex rationibus specialibus determinandum, ex qvo, utpote re singulari, nulla generalis inferri regula potest. Verbo: Qvicqvid utrinqve, de cognominibus hæreditariis & vagis f. arbitrariis, disceptari potest, ab exemplis, pro utraqve parte militantibus, dependet, qvæ qvam partem plurima tuentur, communia veterum instituta, vulgaremqve referre consvetudinem sunt censenda; qvæ vero ab altero latere pauciora occurrunt, eventus rarioris memoriam servare judico; jam a cognominum arbitrariorum parte plurima manifesto exempla prostant, hæreditaria vero paucissima tuentur, unde hæc eventibus rarioribus merito veniunt annumeranda; Qvare non dubito, qvin ad priscorum borealium cognomina etiam transferam, Onuphr. Panvinii de cognominibus veterum Romanorum *hære-*

hæreditariis judicium, qvod Thefaur. Græviani Tom. I. p. 2042. ita jacet: *Qvi cognomina patris avi & majorum longa ſerie tulerunt, id ipſum feciſſe videntur, præſtanti illius, qvi primus id cognomen invenit, virtute & gloria adducti, ita tamen, ut aut mutare, aut relinqvere illud cognomen pro arbitrio potuerint;* idqve eo magis, cum cognominis, ad tertiam generationem, ſerie continua, propagati exemplum, in monumentis Islandicis hactenus obſervare nullum potuerim; deniqve plurima majorum nomina propria poſteri ſubinde aſſumſere, qvæ ideo hæreditaria fuiſſe ego non dixerim, cum interruptus illorum apud poſteros uſus contrarium aperte monſtret, multo igitur minus pauciſſima illa, qvæ poſteri uſurpavere, majorum cognomina, hæreditariam cognominum ſucceſſionem demonſtrare ſunt putanda.

His ita confectis, qvid antiqva familiarum nomina, ad cognominum naturam illuſtrandam conferant, paucis diſpiciam. Ad gentilitia hæce nomina aliqvo modo referri poſſent, appellationes variæ, a Ducum, olim maxime celebrium nominibus ductæ, qvas primum militibus, eorum ſigna ſecutis, Poſt qvibuscunqve viris, honoris gratia antiqvi tribuerunt; Qvomodo Alfi vel Halfi, famoſiſſimi olim piratarum Regis prætoria cohors, *Reckar;* qvi Ska-

Skatii Regis castra seqvebantur, *Skatnar*; qvi Bragnio grandævo militavere, *Bragnar*; & deniqve qvi sub Gautio Rege stipendia meruere, *Gotnar*, sunt appellati; (vide Eddæ Part. Poet.) qvibus valde similia sunt factionum, sec. 12, & 13. in Norvegia exortarum, nomina, a vestitu; (ut *Heklungorum*, *Betulopodum*, *Slitungorum*, *Varbelgorum*) Ducum cognominibus, (ut *Kuflungorum*, *Ribbungorum* &c.) a loco seditionum natali (ut *Insulobarborum*) vel dicteriis (ut *Baglorum*) derivata; qvæ uni qvidem homini, illorum temporum historici interdum tribuunt, verum non cognominis, sed tesseræ militaris loco, qvo, cui qvilibet parti addictus esset, brevius exprimerent; si paucissimos tantum excipias, qvibus vulgaris appellandi consvetudo, factionis, cujus signa secuti fuerant, nomen, Inprimis illud Betulopodum, qvod Sverrere rerum in Norvegia potito, in nomen honorarium transiisse Sverris Saga testatur, perpetui instar cognomenti addidit: proxime tamen nominibus gentilitiis, nomina patronymica sive gentilitia stricte sic dicta annumerari merentur; horum qvædam ab ipso ejus nomine, qvem gens auctorem agnovit, sunt derivata: ut a Regibus, Dago *Dauglingorum*, a Bragio *Bragningorum*, ab Hildero *Hilldingorum*, a Siggaro, *Siklingorum*, a Lofdio, *Lofdungorum*, a Skelfero, *Skilfingorum*, ab Audio, *Audlingorum* vel *Adelingorum*, a Budlio, *Budlungorum*, a Næfillo, *Niflungorum*, a Skioldo, *Skioldungo*-

rum, (Olafs Saga Lib. 2. pag. 333. feqq. Hickefii Differt. Epift. pag. 27. 28. Stephan. Not. in Sax. pag. 31. conf. ex Edda Sæmundi Torfæum Ser. Reg. Dan. pag. 259 & 305.) ab Amalo, *Amalorum* vel Aumlungorum; (Peringfck. Not. ad Hift. Theodoric. pag. 251.) qvibus, a Giuko, *Giuckungorum*, a Sigmundo Volfungo, *Volfungorum*, (Edda fab. 72.) a Snorrone, *Snorrungorum*, a Sturla Hvammenfi, *Sturlungorum*, (Chr. Magn. Island.) à Kiallako, *Kiallaklingorum*, (Eyrbyggia Saga) aliorumqve nomina addere poffemus. Qvædam a loco, ubi gentis auctor habitavit, defumta funt, ut *Gilsbakkenfium, Haukdalenfium, Oddenfium, Vatnsdalenfium, Vatnsfiordenfium, Skardenfium, & Myramannorum* nomina. Aft hæc toti in genere familiæ tribuebantur; *nam antiqvitus fufficiebat, ad nobilitatem indicandam, primi auctoris nomine pofteros omnes appellaffe*, monente Sperling. not. ad teft. Abf. pag. 31; atqve hinc, nec ea unqvam unus ex familia, de fe ipfo loqvens, admifit, fibive cognominis inftar tribuit, nec ea ulli unqvam in fpecie attribuuntur, nifi apud Poetas, qvorum licentia qvædam majorum, & aliorum, qvi maxime illuftres erant, nomina, in titulos honorum convertit, qvod vel folum Grami nomen, cujus magnitudini tantum a pofteris tributum eft, ut in vetuftiffimis Danorum carminibus, ipfius vocabulo regia nobilitas cenfeatur (Saxo

Lib.

Lib. I. & Steph. not. pag. 32.) & Matronarum appellatio honoraria, Freya v. Frue, a Freyæ nomine ducta, abunde confirmant.

Hactenus de indole Cognominum. Antiqvissimis temporibus, nulla alia, qvam qvæ a parentum ducuntur nominibus, in usu fuisse cognomina, tam aliarum, qvæ cognominibus non usæ, patris nomen distingvendi gratia proprio nomini junxere, vetustissimarum gentium exempla, qvam naturalis ordo svadere videntur; ast qvamdiu id obtinuerit, incertum. His, ut fingendi licentia seculorum lapsu incrementa sumsit, cognomina adventitia, initio paucissima, magis magisqve paulatim cœpere substitui, qvibus, tam, ad summum brevi fastigium evecta superstitio, qvam solennes cognominum impositiones, (§. 1.) tantas subinde addidere vires, ut, jam cum religio Christiana introduceretur, numerosa satis esset in septentrione cognominatorum cohors. Talium cognominum usus, exterorum, qvorum commerciis, magis qvam eousqve factum erat, paulatim freqventari septentrio incepit, imitatione, & appellandi licentia, duobus post introductum ad Norvegos Christianismum seculis, ita increbuit, ut seculo 13. maxima in Norvegia hominum pars, cognominibus istis adventitiis uteretur; qvibus, in factiones tunc temporis divisa civium studia, & reciproca militum utriusqve partis scommata, largam suppeditasse materiem, eo minus dubito,

cum multa illorum ridicula ſatis videantur & opprobrii plena. In Dania etiam Cognomina ſeculo 12. ſatis fuiſſe freqventia, præter alios Canutidarum Hiſtoria, qvæ eorum paſſim exempla præbet, teſtatur: Aſt cum circa eadem tempora, Valdemaro I. regnante, nobilitas Danica emergere inciperet, ſuſpicari qvis poſſet, ex acceſſoriis cognominibus ſtatim hæreditaria facta, ni ſcrupulum Sperlingius amoveret, not. ad teſtament. Abſalonis p. 27 & 28. ita ſcribens: *Cognomina qvæ tunc fuerunt in Dania nobilibus, vaga, nec perpetua vel hæreditaria, aut in familiam tranſeuntia deprehendimus fuiſſe, ſed cum iis, qvi cognomen acceperunt extincta, neqve ad poſteritatem demiſſa- ſed ex vulgo cauſisqve incidentibus.* Idqve multis cognominum exemplis illuſtrat; attamen cum familiæ inclareſcerent, cognomina ſingularum perſonarum adventitia etiam notiora facta eſſe ratio ſvadet, qvorum nonnulla vel ſeculo 14. cum Dani cognomina Germanorum more in familiam transmittere inciperent, (Sperl. loc. cit. pag. 29.) vel poſtea, ſub nominum gentilitiorum reſtauratore Friderico primo, qvem Hvitfeldius in Cauſa fuiſſe ſcribit, qvod nobiles hujus Regni familiarum ſuarum nomina uſurparent, cum antea parentum nominibus ut plurimum inſignirentur, hæreditaria facta eſſe, nil abſurdi involvit. Cæterum qvænam in ſpecie Cognomina nobilium Danorum gentilitia,

litia, vetuftis acceſſoriis debeantur, nobis eruere propofiti ratio diſſvadet, qvippe circa antiqvitates Islandicas, qvæ hucusqve non pertigunt, inprimis occupatis. Plurimi Islandi parentum nominibus cognominum loco ſunt uſi, ſi pauciſſimos modo exceperis, qvi in exteris degentes, ad eorum conſvetudinem, vel a loco nativitatis, ut *Vidalini*, *Hialtdalini*, vel a viri in familia clari nomine, ut *Thorlacii*, nomina gentilitia hæreditaria ſibi formavere, qvæ una cum parentis nomine, ſuo adſcribunt.

§. 3. Patris & Matris nomina cognominum inſtar adhibita.

Patris nomen cognominis vices apud veteres ſuſtinuiſſe prolixe non afferam, cum id conſtans omnium ſeculorum loqvatur experientia, (conf. Pont. Gramm. Dan. p. 114.) nec rationes longe petam, cum patrem, qvi nos ab aliis diſtingvat, natura proximum conſtituerit, unde, tam propter prærogativam ſexus, qvam diſtinctionis gratia, ejus nomen, cognominis loco aſſumtum patet. Alii contra, ſed exemplo rariori, cognomen paternum addita *filii* voce retinuerunt, ut Thorbiörni Suri (i. e. acidi) filii, Gislo & Thorkillus, qvorum uterqve non tam Thorbiarnarſſon, more alias conſveto, qvam *Surſſon*, appellari conſvevit, (v. Gisla Surſſonar saga). At matris etiam nomen cogno-

minis instar nonnulli adhibuere; sic Thordus Glumi filius, a matre Inguna cognominatus est Ingunarson, (e.Ingunæ filius); (Olafs L.II.p.88.) Sic Svenus & Astradus, a matre utriqve homonyma, þorgunnofynir (i e. Thorgunnæ filii) vocati, (Knytlingas cap. 40); Sic Haqvinus a matre Sunnifa Sunnifuson; (ibid. cap. 78.); Sic Petrus a matre, Bodildæ filius, dictus (Steph. not. ad Saxon. p. 230.); Sic Floko, a Valgerda matre, Valgerdarson (Arngr. spec. Isl. pag. 1.); Sic Thordi duo, unus Egilæifarson, alter Jorunnarson, a matribus appellati, (Olafs Saga Lib. II, pag. 6.); Sic deniqve, qvod ad consvetudinis antiqvitatem demonstrandam trahi fortasse posset, Lokium, Odino Synchronum, a matre Laufeya, Laufeyarson, Edda passim cognominat; alios prætereo. Siernhook (de jure Sveon. p. 223.) qvod partus jure veteri ventrem seqveretur, cognomina a matre ducta statuit, his Verbis: *Qvod alterum vero attinet, de jure vetustissimo, partus conditionem matris secutus est, unde qvidam se matris non patris filios nominarunt, ut Ingeburgis, Estbridis filios &c.* qvo & interdum veteres respexisse, testimonia omni majora exceptione præbent Olafs Saga (Lib. I. p. 142.), ubi Sveno, postea Daniæ Rex, *Saumæsoson*, a matre Saumæsa cognominatus traditur, qvod illum, utpote matre paupere, & plebejæ conditionis natum, Haraldus Gormonis, Daniæ Rex, pro suo agnoscere

agnoſcere nollet; nec non (Lib. II. p. 31.) ubi Thorſteinus, poſtea Tauripes dictus, a matre, *Oddnyarſon*, cognominatur, non alia de cauſa, qvam qvod Ivarus Liomi, nobilis Norvegus, qvi matrem Oddniam compreſſerat, contemptu illius, (muta enim erat) nec eam in matrimonium ducere, nec patrem ſe prius confiteri vellet, qvam id ei Thorſteinus, adultior factus, vi extorqveret. Deniqve Lib. I. pag. 8 & 9. Hakvinus, Haraldi Pulchricomi filius, (qvi ſub Adalſteni Alumni cognomine Norvegiæ Regnum poſtea obtinuit,) qvod matre, licet ſtemmate nobili orta, Ancilla tamen Regia, Thorâ Moſtrſtaung, natus eſſet, a reliqvis Haraldi filiis, *Moſturſtángarſon*, per ludibrium, vocatus traditur: "Kongr let Sveininn "fylgia Modur ſinni, medan hann var ſem yngſtr, "hædilegt þotti ödrum Sonom Haralldz konungs "umm Hakon, oc kollodo hann Moſtrſtángar "Son." i. e. *Rex, puerum dum adhuc parvulus eſſet, matrem ſeqvi permittebat, alii autem Haralldi Regis filii, Haqvinum ludibrio habuerunt, & Moſtr-ſtangæ filium vocaverunt;* qvibus teſtimoniis facile conficitur, filios illegitimos, ex pellice vel concubina natos, nec non qvorum pater adhuc incertus erat, cognomina a matre eſſe ſortitos, qvibus, cum inferioris eſſent conditionis, atq; adeo, ex juris vetuſti principiis, de patris dignitate non participarent, ſed matris ſeqverentur

 ſtatum

ſtatum, qvam ex Stiernhöckio adduximus, rationem, optime convenire, ulterius monſtrat Eigils Saga cap. 7, ubi Biorgulfus, nobilis Norvegus, filios, ex Hildrida, qvam patri, reſiſtendo impari, extorſerat, ſuſceptos, pro ſuis qvidem, verum non legitimis, ſed naturalibus haberi voluit, atqve ideo eos in bona ſua ſuccedere, & filiorum jure gaudere noluit, ſed matris repudiatæ arbitrio permittebat, unde *Hildridæ filii* cognominati ſunt: Nec diſſimilis plane ratio ſubeſt Svenonis Eſtrithii cognomini, ab Eſtrida matre ducti, qvippe qvo conditiónem matris, regio ſtemmate prognatæ, ſponte ſecutus, jura ſua ad Regnum Danicum, materni nominis titulo circumferre geſtiebat, (conf. Perill. Holb. Hiſt. Dan. Tom. I. p. 157.) Attamen haud inficias ire poſſum, alias interdum a matre cognominatorum occurrere rationes, qvæ qvidem qvam ſtabilivimus regulam non evertunt, ſed qvam varium veterum fuerit in cognominibus imponendis ingenium, ſaltem monſtrant. Sic, forſan qvod matris tutelæ ſubeſſent, a matre cognomen accepere nonnulli, qvorum mater patri ſupervixit (vide not. ad cap. I. Hiſtor. Gunnlaugianæ). Sic a ſpeciali matris Brynhildæ Bagæ affectu, Boſii filii nomini, cognomen ejus acceſſit, ita ut *Bögo-Boſi* diceretur; qvo exemplo, acceſſiones, qvas a parentum nominibus liberorum nomina accepere, arbitrarias, & caſu illatas, non vero hæreditarias fuiſſe, novo velut argumento conficitur. Taceo alia.

§. 4.

§. 4. Cognomina ab habitu corporis & moribus.

Cum externi corporis defectus vel venuftas, moresqve hominum, facile fe fqvavis data occafione præbeant confpiciendos, & manifefta fui indicia faciant, largamqve aliis, five bene, five male affectis, variis modis ratiocinandi præbeant materiam, non mirum, ab habitu corporis & moribus, multa multis vulgus cognomina impofuiffe; de qvibus eo brevior ero, cum nil fere in illis occurrat notabile, fed ex paucis talium cognominum exemplis, reliqvorum natura facile cognofci qveat. Accedit, qvod cognomma ifta, ob multitudinem fuam, notiffima fint, omnium qvippe hiftoricorum vulgata relationibus: qvare feqventia tantum exempli loco erunt. Thorbiorga Kolbrun, de qva Foftoraedra Saga cap. 16. "Þorbiorg var fvört á har, oc fva a brun, þvi "var hon köllut Kolbrun." i. e. *Thorbiorga, qvod nigra comas & fupercilium effet, Kolbruna eft cognominata;* Olofa, Thoreri Comitis filia, ob formæ pulchritudinem, *Geisli* (i. e. radians) & Thorgrimus, ob morum Urbanitatem *Prudi* cognominatus (Viglundar Saga cap. 2.) de Helgio Albo ita foftbrædra "Saga c. 18. Helgi átti Kenningarnafn, oc "var kalladr hvitr, oc var hanom þat ei Auk-"nefni, þviat hann var vænn madr, oc vel

h 5 "hærdr,

"hærdr, oc hvítr á har," i. e. *Helgio*, *Albi cognomen præter rei veritatem haud fuit datum, erat enim venustus, bene comatus & albis crinibus præditus.* Olaum, qvod calore naturali, omnem frigoris & tempestatum vim, absqve multo tegendi studiose corporis apparatu eludente, gauderet, *Biarnyl* (i. e. instar ursi calidum) cognominatum, producit Isfyrdinga Saga cap. 2. Hamundum & Geirmundum fratres, ob nigredinem cutis, *Heljarskinnos* Sturlunga S. Lib. I. c. 2.; Olaum, propter insignem formæ gratiam *Paa* (i. e. Pavonem) a patre cognominatum Laxdæla Saga; Thorbiornum, ob vires corporis, *öxnamegn* (i. e. Taurorum instar robustum) Grettis Saga c. 32, & deniqve Asmundum, qvod præcanus esset, *Hærulang* (i. e. promissos canos alentem) dictum, eadem cap. 1. exhibet.

Qvemadmodum nonnulla horum cognominum, dicterio cuidam debent originem, ita ludibrio propiora videntur, qvæ a vitiis naturæ haud pauca ducta sunt; ut illud Koli, ob Gibbum, *Kroppinbakr*, Biorni, ob dentem monstrosum, *Blatonn*, Haraldi, ob caput ferro impenetrabile, *Jarnhaus*, Ingialdi, ob labium prælongum, *Triona*, & plurima alia; qvibus nescio an ea jungam cognomina, qvæ ob accepta vulnera variis accessisse constat; hæc licet bellicæ fortitudinis indicia, imo victoriæ, ut

ut ad ſuos Alexander olim dixiſſe fertur, monimenta præferrent, atqve adeo gloriæ, qvam vituperio propriora videri poſſent, attamen, in eis imponendis, aliqvid interdum joci, ne dicam irriſionis, ſtatuiſſe negari neqvit. Talium exempla præbet Jokullus, ob manum a Thorſteno amputatam, *Unimanus*; (Thorſteins c 25.) Onundus, ob ligneum pedem, loco amiſſi in prælio Hafursfiordenſi pedis uſurpatum, *lignipes* (Grettis Saga); Brynhillda, ob cicatrices, qvas cum Thvaro pugnans acceperat, *Baga*; (Herauds Saga) deniqve Hromundus, ob acceptum in pede vulnus, *Claudus* cognominatus (Olafs Saga L. II. p. 201.); cui ſimilia de Thorolfo, ob vulneratum ſingulari certamine pedem, *Bægifot* dicto, Eyrbyggia Saga tradit.

Qvæ a moribus ducta ſunt cognomina, cæteris, qvæ ad corporis habitum ſpectant, numero vix ſunt inferiora, omnia autem vel ad laudem cognominatorum, vel vituperium ſpectant, qvalia ſunt: *Dromundi* cognomen, Thorſteno, ob tarditatem, Grettis Saga c. 15.) *Glaumi* cognomen, Thorbiorno, ob garrulitatem, ibid. c. 55) *Boni* cognomen, Erico, Daniæ Regi, ob morum & temporum placidiſſimum uſum (Saxo Lib. XII. p. 224; Knytlinga S. c. 71.) *Lavardi* cognomen, Canuto Duci, qvod omnes ſibi devinctos haberet, (Knytlinga Sag. c. 84.) *Heini* cognomen, Haraldo,

raldo, qvod ad res magni momenti gerendas inutilis esset, impositum, & alia, qvorum agmen claudet Thorgeiri cognomen de qvo ita fostbrædra Saga cap. 22. "Þorgeir hafdi þat "Kenningarnafn at hann var kaliadr Hófleysa, "af þvi hann hafdi til alls meira enn hann "þursti." i. e. *Thorgeirus, qvod omnibus, plusqvam par erat, impenderet, immodici cognomen accepit.*

§. 5. Cognomina ab aliis rebus promiscue.

Qvi rem militarem maximis olim in deliciis fuisse novit, non mirabitur veteres septentrionales, ut fortitudinis reiqve præclare gestæ decus palam præferrent, cognomina etiam inde deduxisse, vice vero versa, rei male gestæ ignominiam, cognomento sustinuisse. Qvæ rerum gestarum splendor & magnitudo cognomina genuit, vel *generalia* fuere vel *specialia*, priora totum, qvæ qvis gessit factorum memorabilium ambitum, uno velut obtutu repræsentat. Qvomodo alius *Magni*, alius *Victoriosi* alius *Animosi* vel *Alacris*, alii *Athletæ* cognomina acceperunt, ut Biornus Breidvikensium *Athleta*, (Eyrbyggia Saga) Vebiornus *Sognensium Athleta* (Land. p. 75.), *Biornus Hytdalensium Athleta* (vid. Vitam ejus), & alii multi,

multi; posteriora unum vel aliud in specie factum heroicum sistunt. Sic Asgeirus, qvod nautas Norvegos bene multos, qvi eum injuria affecerant, mercibusqve spoliaverant, solus interemisset, Austmanna-Skelfir (i. e. *Norvegorum terror*) cognominatus est, Floamanna, S. cap. 9. Sic Helgius, ob cæsum Hundingum, *Hundingsbani*, (i.e. Hundingi Interemptor) vocatus, victoriæ decus cognomine usurpavit (Saxo Lib. II. p. 28.) Sic *Sigurdus, ob Fafneri Cædem, Fafneri occisor* dictus, &c. Nec minus a qvovis *facto memorabili* cognomina data, Thorsteni, ob pedem tauro abruptum, Tauripedis cognominati (Olafs S. L. II. pag. 35.) & notissima aliorum exempla testantur. Qvin & ab *ipsis armis* cognomina manasse, fidem facit Haraldi *Kesiæ* cognomen, illi, cum patris lancea potiretur, additum; (Thorstein Saga c. 16. & 24.) cui aliud, haud ignobilius, ex Vigaskutu Saga subjungam, qvæ c. 18. de Mercatoribus Norvegis hæc habet: "Brædur varo þrir, einn het "Spiót, annar Sax, þridi Sverd, sva er sagt, at "hver þeirra Brædra ætti þat Vopn, sem vid var "kendr, þeim þotto þau i besta lagi sinnar eigo, "ec leto alldrig fra hendi ganga," i. e. *Tres fratres erant, qvorum unus hastæ, alter pugionis, tertius gladii, cognomen gessit; horum unus-qvisqve arma, a qvibus cognomen acceperat, possidebat, & inter res pretiosissimas reputabat, adeo ut nunqvam e manu*

manu elabi pateretur. Nec pauciores olim fuere, qvorum cognomina vestitum, vel circumstantias nativitatis referebant, inter qvos Thorkillus, qvod expositus spiritum ægre trahe-ret, Krafla vocatus, haud ultimo loco venit nominandus. Præter res bellicas a studio & genere vitæ, veteres multis cognomina dedisse monstrat Olafs Saga Lib. I. p. 115. ubi Thorkillus, þurra-frost appellatus traditur, qvod statim ac montes & flumina glacie obducerentur, venationes exerceret; & Droplaugarsona Saga; "Asbiörn "atti vidrnefni oc var kalladr vegghamar, "hann hafdi lagit garda umm tun Manna, oc "sva merki garda; hann var sva mikill meistari "a gardlag, at þat er til merkis, at þeir gardar "standa enn i Austfiördom, er hann hefir reyst." i. e. *Asbiornus Vegghamar cognominatus, qvod aggeres limitum duceret; tanta illi hac in re peritia, ut qvos duxit aggeres, in qvadra Islandiæ Orientali adhuc supersint.* Nonnulli & olim occurrunt a loco habitationis, nativitatis imo integra gente cognomen sortiti (Pont. Gramm Dan. pag 115.) ut Grimus *Halogiensis*, Sæmundus *Hebridensis*, Biornus *Austræni*, Godleifus *Gardensis*, Ulfus *Gallicius*, qvod Galliciam subegerat Knytlingas cap. 75. Haqvinus *Norvegus* S. Norræni, c. 78. Biornus Brito, & alii, qvibus accedat *Hroarus*, a lingula in qva latifundium ejus situm, & officio simul, *Tungo godi* dictus, Droplaugarsona Saga. Præterea

terea ab *adjuncto qvocunqve sive honesto sive turpi* (Pontopp. Gramm. p. 116.) cognomina olim veteres hausisse non opus est ut probem; cui enim ignotum est *Thorolfi Smior* ɔ: *Butyri* cognomen (Landn. pag. 5.), & aliud Biorni *Byrdosmior*, de qvo prolixe Sperlingius de laude Boreæ (p. 191.), qvibus solum addo Thorgeiris exemplum qvod panem butyro illitum, optimam escam judicaret, *Smiorbring* dicti, (Vigalkuto Saga cap. 12.) saltim ut constet, veteres septentrionales, in nominibus hisce accessoriis, interdum haud magis verisimilitudini litasse, qvam eos, qvos a literis Alphabethicis cognomina sibi sumsisse Reinesius testatur var. Lect. pag. 31. 32. Hinc totam, qvaliscunqve est, commentationem meam C. Wormii Verbis claudam qvi,Com. ad Schedas p. 96. in hæc erumpit. *Ratio cognominum apud nostrates adeo subinde mira est, ut genium majorum mirari satis non possim*, unde ne qvis nobis vitio vertat, qvod plura talia cognomina, qvæ ad generales regulas reduci non possunt, studiosius non adduxerimus, inprimis cum nil fere, si eorum exempla exceperis, de iis dici qveat, præter ea, qvæ de similibus Romanorum cognominibus, Alex ab Alex,Genial.dierum Lib. I. cap. 9. & de aliorum populorum cognominibus alii, satis alioqvi nota, jamdudum scripsere.

* * * * * *

Index

Index præcipuorum nominum propriorum qvæ in hoc tentamine occurrunt.

Gauti

Gauti, Norv. & Isl.
Geir
Geirny
Geirmundr, hasta instructus
Giffr, bellator
Gnupr
Godbrandr, v. Gudbrandr
Godmundr, v. Gudmundr, donum divinum
Godormr, v. Guttormr
Godrun, v. Gudrun
Gottsveinn
Grani, barbatus
Grimr, Norv. Grim, galeatus
Grima
Gullrun
Gunnarr, bellator
Gunnbiörn, Norv. Gundbiörn, pugnax
Gunnlaugr, fulgor militaris
Gunnsteinn, in pugnando firmus

Hafr
Hákon, Norv. Haagen
Hallr) Gemmatus
Halli)
Halla, Gemmata
Hallbiörn, ursus gemmatus, i. e. miles splendidus
Hallbera
Hall-dys
Hallþor, v. Halldor, Thorus gemmatus
Hallþora, v. Halldora
Hallmundr
Hallsteinn
Haukr
Hauknefr
Hamundr
Hásleinn
Helgi
Helga
Herbrandr, gladius militaris
Herdys, Dea militaris
Herjulfr, lupus Odini
Hermundr, ad pugnas instructus.
Hersteinn, in pugnando constans, v. fortis
Hervör
Hialmr) galeatus
Hialmar)
Hiallti
Hiarandi, gladiatus
Hilldr, Bellona
Hilldigunn, Dea bellica
Hilldridr, res ad bellum parans
Hiörbrandr, mucro gladii
Hiorleifr
Hrefna
Hunboge
Hvedrungr

Jarngerdr
Idun
Ingi, Isl. & Norv.
Jodys
Jofridr
Joreidr
Jorun, Isl. & Norv. amans eqvorum
Josteinn
Isbrandr, ensis ferreus

Isgerdr, ferro armata.
Kálfr
Krákr
Kráka.
Loden, hirſutus
Logi, flamma
Malmfrídr
Málmhilldr.
Olafr, Donum Dei
Olöf
Ormr
Ormar
örn
örnulfr
Oſk, votum.
Ragnar, divinus
Ragna, N. Ragne
Ragnheidr
Ragnhilldr
Ragnfredr
Rögnvalldr, Norv. Ravald, imperator divinus
Rafn
Rafnkell
Randver, vir militaris.
Sæmundr
Sæunn
Sémingr
Sigmundr, ad victoriam inſtructus.
Signy, Norv. Signe
Skiölldr
Snær
Snæbiörn
Snæulfr, v. Sniólfr
Sniófridr
Sniólaug
Sólrún
Steinn
Steingrimr
Steinulfr
Steinun
Steinþòr, v. Steindor.
Styr.
Svadi, impetuoſus
Svanr
Svanhilldr
Svanhvit
Svelnir
Sunnifa
Suttungr.
Tindr.
Vali
Valbrandr
Valgardr
Valgerdr, Norv. Velgier
Vebiörn
Vedys
Ve geir
Vegeſtr
Veiaug
Vemundr
Veormr
Veörn
Veſteinn
Ulfr
Ulfkell
Ulfſteinn
Uni
Unnr.
Þiaſſi
Þora
Þoralfr
Þorbiörn
Þorbrandr
Þorgeir
Þorgunna
Þorgrímr
Þorolfr
Þorormr
Þorſteinn
Þrainn
Þrudr.

Singulorum explicationem ſpatii anguſtia non patitur.

Adden-

Pag. 16. lin. 21. post Verba: *Jure negari qveat:* Add. Veri tamen simile est, veteres existimasse, Deos, homines ab illorum appellationibus derivata sortitos nomina, eodem amore & tutela revera complecti, qvo Valkyriam qvandam, sive Virginem militarem, Helgium, cui nomen imposuerat, prosecutam inducit Edda Sæmundi; his Verbis: "Eylimi het Konongr, "dettir hans var Svafa, hon var Valkyrja; oc reid "lopt oc lög, hon gaf Helga Nafn þetta, oc hlífdi "hanom opt sidan i Orrostom." i, e. *Rex, cui Eylimo nomen; filiam habuit Svafam, qvæ Valkyria erat, & illarum more äera & mare pervolabat; Hæc Helgio nomen hocce dedit, illumqve postea in præliis sæpe protegebat.*

Pag. 19. lin. 19. Post Verba: *Sunnifa & alia deducta sunt.* Add. A qva sententia in diversa non abit, multo minus eam tollit, qvi, fœminæ, ob egregriam formæ gratiam, *Lunda-Sol*, cognominatæ, (Lib. Or. Isl.) exemplo inductus, nomina propria a sole ducta, venustatem & pulchritudinem significare, statueret; cum ipsius Solis, ab Ethnicis olim culti, ratio, tam in illius præstantia & decore, qvam usu, qvem sublunaribus præstat, lateat. Plus forte negotii nobis facessere videretur, qvi hæcce nomina, ad fœminam Asiaticam, Odini sociam, etiam *Sól* dictam, (Edda) eodem, qvo ad Solem jure referenda contenderet: Sed cum & ipsum fœminæ hujus Asiaticæ nomen, Solis, ab ultimis retro temporibus culti ideam præferat ad ipsam originem recurrere satius duxi, qvam illius nomen, talium nominum fontem agnoscere, conf pag. 8.

Pag. 24. lin. 12. post Verba: *Inter cohortes versaretur:* Add. Qvin &, esto, qvasdam Odini appellationes, post ejus mortem, poetarum licentia excogitaverit, credulæ plebeculæ superstitio, tunc temporis, utiqve non deerat, qvæ illas in nomina hominum propria subinde verteret. Nec obstat, qvod tam illa, qvæ adduximus, qvam reliqva Odini Nomina honoraria,

res

xes ad ejus historiam & bella spectantes, significent, atqve adeo appellativa sint, cum & idem Voci *As*, qvam tamen Odini intuitu in Nominum propriorum castra transiisse, nemo dubitat, obverti qveat. Nec qvis externam tantum, nominum hominibus propriorum, cum appellationibus Odini honorariis, convenientiam vel similitudinem, eo nos perduxisse putet, ut illa ab his orta statueremus, sed ipse Eddæ Auctor, qvi sua multis abhinc seculis literis consignavit, viam nobis aperuit, *Gotii* Regis nomen, ab appellatione Odini *Gautr* deducens. Locum Eddæ Vide apud Torf. Ser. Reg. Dan. pag. 92.

Pag. 29. lin. 24. propagatæ l. propagari creditæ.

Pag. 40. lin. 8. notionem in occultare l. notionem in se occultare.

Pag. 73. lin. 21. qvæ, vel antiqviori l. qvæ, vel qvod antiqviori.

Pag. 77. ad finem §. 11. Add. Triplex inprimis est, qvam accuratior nominum propriorum cognitio præstat, utilitas, qvippe qvæ, 1mo, haud infirmum præbent, pro lingvæ Veteris Danicæ, cujus reliqvias per 9. fere secula in Islandia jam viguisse certi sumus, antiqvitate argumentum; pleraqve enim, vel vetustissima, qvæ hodie supersunt, priscorum Septentrionalium nomina propria, lingvæ Islandis olim & hodie familiaris genium sapiunt, & illius beneficio explicari qveunt, qvod lingvam, qva inde ab Odini adventu, usi sunt, si non plane eandem, certe antiqvæ Islandicæ admodum similem fuisse arguit. 2do. Ingenium, mores, consvetudines & opiniones veterum qvodammodo declarant, qvod, qvavis occasione data, indicare studui. 3tio. Qvæ de Odino ejusqve Auctoritate in genere Islandorum antiqvitates tradunt, vera esse monstrant. Si enim tota Odini historia, præter rei veritatem, pro lubitu esset conficta, absqve insigni stultitia credi neqvit, tot regionum incolas, in nominibus suorum propriis, ad ejus instituta componendis, vel data opera, vel casu, convenisse.

Pag. 84. lin. 15. qvis, deleatur.

* * *